29

*C. B. D.*

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

# ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑΠΡΑΚΤΩΝ ΜΟΡΙΩΝ,

*Quam*

*Gratioſiſſimo Indultu,*

*&*

*Autoritate*

ILLUSTRIS COLLEGII

MEDICI

*in*

INCLYTA STVDIORVM VNIVERSITATE

ARGENTORATENSI

PRO LICENTIA

Legitimè capeſſendi

SVPREMOS in MEDICINA HONORES

*&*

PRIVILEGIA DOCTORALIA.

Solemni Eruditorum Examini

ſiſtit

PHILIPPVS JACOBVS VINTHER/

Durlaco-Marchicus, J. U. Ddus.

*Ad d. 13. Martii Anno O. R. M. DC. LXXIIX.*

---

*ARGENTORATI,*

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

# VIRO
*NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,*
# DOMINO
# IOHANNI VVOLF-GANGO MOEGLINGO,
Phil. & Med. D. Sereniſsimi Principis, Marchionis Badenſis, & Hochbergenſis &c. &c. Archiatro, Diœceſeos Pfortzheimenſis Phyſico, Fautori, & ex Amita Affini, Parentis loco honoratiſſimo,

S. & O.

*Amoris venerationisque,* *quod utrumque* TIBI, VIR AMPLISSIME! *non debere me tantùm, ſed & seriò velle, profiteor,*

*fiteor, ſenſum ejusq́ cauſas mecum exploraturus, non eas tantum reperi, quæ* TIBI *cum Principum gratiam, tùm Bonorum omnium conciliant benevolentiam; ſed & quasdam privatim ad me ſpectantes, quæ* TIBI *tantò me ſanctiùs devinciunt, quantò præter Tua merita arctius inter nos intercedit vinculum: Nam quæ in aliis ſparſim dantur virtutes, in Te cumulatim reperiuntur. Rerum puta æquè humanarum ac divinarum ſcientia ſingularis, quarum utramque non ſterili tantùm contemplatione excoluiſti; ſed quid ars poſſit, feliciſſima manu oſtentas, inſuperq́ purio-*

*ri Theologiæ rariſſimo exemplo ſinceram pietatem addis, & candorem nullo fucatum colore: quid enim majus deſiderari à Medico poſſit, quàm dexteritati juncta fides? Utriuſque ſplendorem conſtans viribus ſenectus, (quam eousque provehat DEUS, ut annorum ſatur Filium paternarum virtutum æmulum complere votorum menſuram videas) immenſum auget, ingens & artis tuæ ornamentum, & pietatis præmium. Veniam dabis errori, quem non malitia, ſed peperit pietas, ſi his omnibus ingentem beneficiorum, quæ meam ſuperant penũ, aut præferam aut comparem nume-*

*me-*

*merum. Veruntamen hoc Tuum in me jus eſt, omni exceptione majus, ut Tuus ſim, nihilque malim. Aſt, quod benignior mihi fortuna tribuit, ut illi incunabula debeam, cujus poſtea feliciſſimo matrimonio Conjugem duxiſti ſororem, vel ideò & gaudeo, jactoq́ꝫ, quia virtus Tua iſtius meæ ambitionis unicum fundamentum. Quapropter, ſi jure* TE *meum etiam dicere fas ſit, adeò id* TIBI *non exprobrabo, ut potius omni conatu demereri cupiam. Verum, quod in præſens* TIBI *conſecrare inauguralem meum de Impotentia diſcurſum non dubitavi, non tàm ex Tuis meritis metiaris obſe-*

*cro,*

*cro, quàm viribus meis, à quo pietas id efflagitavit, ut priusquam ſtudiorum cauſa denuò exterarum gentium Doctores inviſam, gratitudinis TIBI meæ argumentum ſiſtam, non quod cupio, ſed quod poſſum,*

AMPLISSIMI NOMINIS
TUI,

Dab. Argent. d. 12.
Martii Anno 1678.

*Cultor devotiſſimus.*

Philippus Jacobus Vinther.

In Diſputationem Inauguralem Medicam
De Impotentia Sexus Virilis,
*Ab Nobiliſsimo Clariſsimoque VIRO,*

# PHILIPPO IACOBO VINTHERO,

Utriusq; Juris jam ante Doctorando, viriliter conſcriptam nec impotentius defendendam.

VNde maritalis fraudetur fœnore lectus?
Unde ſuo vitio Vir petat impos opem?
Ex Medicis, VINTHERE, doces. quid juris in iſto
Sit caſu, Leges te docuêre prius.
Scilicet, haud uni ſudat tua dextera palmæ,
Armaque cum tuleris plurima, plura capis:
Utque novo exemplo ſurgat tibi laurea duplex,
Quæ tibi ſint vires, utraque caſtra probant.
An dubitem, Veneris dum regna tueris, AMICE,
Quin decoret myrto vindicis illa caput?
At tua ſe nondum geniali tempora ſerto
SPONSE, coronari, nec tua fata, ſinunt.
Et tamen es ſponſus, nec Amor te ſimplice nexu
Illigat; hoc fieri qua ratione poteſt?

Nonne

Nonne ſacro vetitum eſt in Codice, nonne profanũ
Eſt opus, & Bigami crimen, habere duas?
Cumque viri robur ſatis hauriat unica conjux,
Quas capis, ambabus TU ſatis unus eris?
Es ſatis, & partes, quas utraque poſtulat, imples,
Officio geminæ ſufficiente Deæ.
Hoc neque Lex actu violatur ſcripta, Tibi cum
Jura ſimul nubunt, & Medicina ſimul.
Nempe Tibi titulis nubit DOCTRINA duobus;
Vox Themis hunc, illum vox Hygiæa notat.
Dumque duæ Nuptæ corpus rediguntur in unum,
Non potes infandi criminis eſſe reus.
Sed quem rara dabunt iſthæc connubia partum?
Nonne duplex gravis eſt duplice prole thorus?
Eſt gravis, & geminâ ſimul orti matre gemelli
Ridebunt uni CENSUS HONORQUE patri.

*Affini honoratiſſimo amicitiæ intimæ teſſeram miſit*

**JO. CHRISTIANVS KECK,**
*Conſil. Durlaco-March.*

# PROOEMIUM.

NOn priùs præſentis Argumenti evolutionem aggredi licuit, quàm calumniæ & obtrectandi occaſionem declinaverim. Neque enim dubito fore, qui ſolennem, eumque inauguralem diſcurſum id neutiquam mereri dixerint. Earum quippe, quod non diffiteor, partium, quas Veteres obſcœnas pudendasque dixerunt, affectum explicandum ſumpſi. Veruntamen, qui turpitudinis indolem diligentiùs inſpexerit, culpa me vacare facilè agnoſcet. Turpitudinem quippe ex animo metiendam omnem, omni exceptione majus eſt axioma. quod malo conſilio honeſtiſſimum aliâs perpetratur, turpe; contra, quod bono animo ſordidum geritur, honeſtum evadit. Quin & leges Civiles honeſtatem de quovis præſumunt, cùm, *quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationẽ, verecundiam noſtram, uno verbo, contra bonos mores ſunt, ea nec facere nos poſſe credendum ſit. l. 15. ff. d. C. J.* Materiam hanc generis eſſe promiſcui, in qua hic delinquere, benè mereri alius poſſit,

quivis facilè agnoſcet. Viderint a. quo pacto in gratiam cum ſacrarum literarum canone redeant, qui naturâ obſcœnas pudendasq; has partes dixerint, quas ipſe ſanctiſſimo rerũ Conditori acceptas refert. Nihil me commiſiſſe eorum confido, quæ libido impudens in alienum ab honeſtate detorſerit finem. Abſit, quam ſibi imputet ſui parum compos Lector, mollities; nihil inveniet lenocinii, quo offenſum ſe jure queri poſſit. Neutrum potui, nec θεράπειαν exhibere, niſi oſtenſis affectus cauſis, nec alio, quàm veritatem, quæ ſordidis tantùm animis offendiculo eſt, profitendi medendique propoſito genitalium maris hiſtoriam honeſtè tradere. quid multa? nec graviſſimi viri ab hoc argumento abhorruerunt, Medici quidem, ut familiarum perpetuitati conſulerent; juſtitiæ verò Sacerdotes, ut in quæſtionibus ſæpè intricatiſſimis & maximi momenti, æquum juſtumq; decernerent. quin & cauſam me habuiſſe non poſtremam, hoc præ cæteris inauguralis argumenti loco ſeligendi, maximè ideò exiſtimavi, quod Medicinæ nunquam adeò conſecrare me totum debuerim, ut Jurisprudentiæ ſtudio valedixiſſe videar.

*C. B. D.*

# C. B. D.

# DISSERTATIONIS

περὶ τῶν

# ΑΠΡΑΚΤΩΝ ΜΟΡΙΩΝ.

## CAPUT I.

Ratio inſcriptionis. Garioponti lapſus. Partium nomen modeſta ſynechdoche genitalibus tribui. Impotentiæ hîc adſtrictius ſignificatum. Coitus item. Synonyma. Galenus ex profeſſo de hoc affectu nullibi. Homonymia. Impotentiæ definitio. Genitalium alter finis individuo, alter, qui huius loci, ſpeciei conſervandæ ſervit. Quo reſpectu impotentia ad ſymptomata retentorum ſpectet?

QUod in præſens inauguralis thematis loco ſumpſimus argumentum, Pauli Æginetæ *d. re med.l.1.c.36.* Dom. Leo Lun. *art. med. l. 6. ſect.3. c.3.* Vict. Trincav. *d. rat. cur. p. h. c. aff. l.* 11. *c.* 29. *f.*345. autoritatem ſecuti, ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑΠΡΑΚΤΩΝ ΜΟΡΙΩΝ inſcripſimus. Quam vocem cum non caperet Gariopontus *l.3. d. morb. c.* 70. eundem affectum *Apoximorion* uno eodemq; nomine indigitavit, ac *inoperationem partium*, *quæ impoßibiles ſunt in rebus venereis*, barbara dictione transtulit. Rectiùs partes inefficaces diceres; aut per hypallagen partium impotentiam. quo pacto & cæteroquin probatiſſimos ſcriptores concretum pro abſtracto, ſed alio ſyntaxeos ordine, ponere, etiam vulgares Rhetorum libelli monent. Videbatur autem hæc præcipuè appellatio aures nimiùm teneras tropi elegantia quodammodo demulcere in re prima ſtatim fronte obſcænitatem præ ſe ferente, ſi genuino nomine exprimas. Τὰ μόρια enim συνεκδοχικῶς genitalia denotant, tropo artis Proceribus valdè familiari. Pari modeſtia alii utuntur, qui *genitalium ignaviam* dixere, vel & *coeundi impotentiam*, quam & paſſim plurimi, ſed minori elegantia *ablationem* vel *defectum coitus* appellant. Impotentiæ autem no-

men non tàm paſſivæ, quàm activæ opponendum potentiæ, ut ad ſexum maſculinum potiùs, quàm ſequiorem pertineat. Porrò coëundi verbo, ut ut, ſi vim originis ſpectes, cuivis contactui explicando inſerviat, eodem tropo hîc accipiendus is actus viri, quo generare in alio cupit. Etiamſi verò impotentia morbum potiùs ſignificare videatur, quàm ſymptoma, ut ejus oppoſitum cauſam actionis ſecundum naturam; ex uſu tamen Medicorum ſymptoma potiſſimum denotat. Cæteri, quibus dictionis venuſtas & verborum religio non adeò curæ eſt, *Virgæ, Penis, Coliuve erectionem læſam* vocant.

Aliorum appellationes, prout quisque ſuo abundat genio, variæ occurrunt, verùm minùs frequentes. *Ignaviam genitalium* dixit Leo Lun. *art. med. l. 6. ſ.3. c.3. fol.636. ignaviam maſculini genitalis* Vid. Vid. *d. cur. membr. l.11. c.11. f.680. virilitatem læſam* Zech. *l.1. conſ.42. p.237. & conſ. 83. p.407. prohibitionem erectionis virgæ,* Guil. Varign. *ſecr. med. tr. 17. ſ.1. c.3. pag.219. actus venerei defectum* Lotich. *conſ. & obſ. l.4. cap.9. obſ.1. p.423. impotentiam copulæ viri cum muliere,* Bavet. d. Baver. *Conſ. f.87. impotentiam rei venereæ* Bened. Silv. *Conſ. & Reſp. med. cent. 4. c.3. fol.471.* Pernum. *d. cur. art. l.2. p.535.* Capivaccio *med. pr. l. 3. c.34. f. 767.* eleganter audit *impotentia* τῦ ἀφροδισιασμῦ.

In Gal. operibus, quod & Victor Trincav. *d. rat. cur. p. ca b. aff. l.11. c.29. fol. 345.* obſervat, mirum, nullibi ex profeſſo de præſenti affectu actum; qui in opprimenda libidine nimia potiùs, quàm excitanda occupatus fuit. Juris Civilis & Pontificii ſcriptores de cauſa potiùs, quàm affectu ipſo ſolliciti, nimis laxata voce *frigidos, & maleficiatos* vocant, quos Medicorum phraſi impotentes diceres. vid. Paul. Zacch. *qu. med. leg. l.3. t.1. q.5. f.135.* Carpzov. *l.2. Iurispr. Conſiſt. d. 200. & ſeqq.*

Et hi, de quibus hactenus, verè ſunt impotentes; ſed leges ſacræ ac civiles tales quoque fingunt, cum ſcil. phyſicè, non tamen moraliter poſſunt; in quorum numero potiſſimùm ſunt, (1.) illi, inter quos, ut loquuntur JCTI, eſt reſpectus paternitatis & filiationis, *Levit.* 18. §.1 *& 5. l. d. N.* (2.) frater & ſoror, §. 2. *eod. t.* (3.) conſanguinei & affines, *cap. 8. X. d. C. & A.* ubi tamen ridiculam omninò, & prorſus ineptam putamus rationem prohibitionis in quarto gradu. (4.) Cognati ſpiritualiter, *l.26. in f. C. d. N.* quod tamen vix hodiè obſervatur. Eſt

Eſt verò prædictorum nominum varius in diverſis ſcriptoribus uſus, quorum aliqui partem eorundem eouſque extendunt, ut omnem ſterilitatis in viris cauſam, nec tantùm coëundi, ſed & generandi impotentiam complectantur; pauciſſimi verò arctiùs, quàm nobis in præſenti propoſitum, conſtringunt, ut ſoli fermè impotentiæ, quam frigiditas induxit, attribui poſſit.

Nos facilè omnem ambiguitatis occaſionem declinabimus, eo ſenſu de partium ignavia acturi, quo *quamvis genitalium in viris erectionem, emiſſionemque ſeminis læſam* denotat, *ab ejusdem, & ſpirituum fiſtuloſum penis corpus diſtendentium, ſive ex intemperie, ſive ex maleficio, defectu oriundam.*

Ad ſymptomata igitur hunc affectum referimus læſæ actionis, & ex parte etiam retentorum. Penem verò duplici fine natura condidiſſe videtur, quorum alius individui commodo ſervit, alius ſpeciei conſervandæ. Urethram enim continet, lotio derivando oportunam, & præterea genituræ ex mare in ſinum muliebrem transfundendæ, qua de re Anatomicorum conſulantur volumina. Prior hujus loci non eſt, ſublimius enim negocium animo hæret, quod generis humani perennitatem concernit. Individua namque cum fluxa ſint, & corruptioni obnoxia, natura in omni ſpecie æternitatem affectans, interitum ſingulorum aliorum continua ſucceſſione compenſat, ut ex ſimilibus individuis eadem continuo efflorescens ſpecies pepetuitate ſideribus ac elementis, quæ ſpeciem in eodem conſervant individuo, nihil cedat; vid. Gal. *d. V. P. l.* 14. *in pr.* quod quidem ut fiat, genitalia maris haud poſtremam tanti operis partem abſolvere debuerunt, dum & prurientem fœminæ ſinum inexplicabilis voluptatis ſenſu ad effuſionem humoris genitalis irritant, eademque opera ſemine maſculino uterum conſpergunt; qua in re erectione omninò opus erat, & ſeminis apparatu, quæ in omni coitu propriè dicto abſolutè neceſſaria ſunt, atqui cum ignavis genitalibus nunc utrumque, nunc alterutrum tantùm nobis

invitis intermittatur, palàm eſt, non niſi actionis læſæ nomine definiri poſſe.

Veruntamen & intermiſſa p. n. ſeminis emiſſio, ut pro ſtatu objecti accipitur. meritò ad ſymptomata etiam retentorum referri poteſt. Objecti enim forma cum actionis terminus ſit, ejusdem cum ipſa nominis particeps evadit. qua de re quidem ſatis conſtare putamus, ut alio argumento res indigere nequaquam videatur. Neque enim meminimus, à quoquam id in dubium vocari.

# *Caput II.*

Ad quod læſarum actionum genus impotentia referenda? quove ſpiritu erigantur genitalia? ſententiis diverſis ex parte conciliatis, rationes plauſibiles pro Galeno adducuntur, & quæſtio deciditur. quo ſenſu morbus ſit?

AD quod verò genus actionum læſarum ſpectet, operæ pretium eſt, ut ulteriùs perpendamus. Qui Gal. *l. 6. d. L. A. f. m. 969.* ſequuntur, inflari à nervis fiſtuloſum penis corpus aſſerunt; cæteri ſpiritu vitali ab arteriis affatim communicato turgeſcere, & velut animari credunt. Viciſſim alii à flatu diſtendi opinantur. Confer Sennert. *m. p. l. 3. p. 9. ſect. 2. cap. 2. p. m.* 948.

Poſteriorum tamen opiniones facilè conciliantur; perinde enim eſt, ſeu ſpiritu vitali craſſiore intumeſcere penem ſtatuas, ſeu flatu tenui, ac copioſiſſimo ſpiritu perfuſo. Neque enim ſi craſſus, & excrementitius flatus, quod in priapiſmo & pneumatocele contingit, penem diſtendat, facilè flacceſcet, nec idem ſufficienter erigi poterit, ſi ſpiritus non niſi tenuiſſimus eò confluere dicatur.

Aſt inter prioris ac poſterioris ſententiæ fautores majus intercedit diſcrimen, quàm quod λογομαχίαν tantùm parere poſſit. Gal. profectò opinioni haud contemnendæ rationes patrocinantur: præterquam enim, quod Hippocr. *l. d. a. a. & l. pag. m.* 76. aſſerit, *impotentes fieri, quibus venæ retrò aures ſecantur,*

cer-

certum eſt, à nimio coitu oculos extenuari, ac lumine orbari, vid. Ariſtot. *l. 2. d. g. a. & Probl. 4. ſ. 2.* Panciroll. *cent. 2. obſ. 6.*

Inſuper & exquiſitiſſimi tenerrimique ſenſus eſt fungoſum penis corpus, ut propterea Raymundus Lullius peculiarem tactus ſpeciem, quam *ſenſum venereum* dixit, hic comminiſci non dubitaverit, atque adeò nervoſi generis. cujuscunque porrò aſperioris & ἀσυμμέτρȣ objecti contactu graviſſimè offenditur, nec niſi mollioribus gaudet. quin & phantaſiæ impreſſiones ſequitur, ut nocturnis ludibriis caſta aliàs corpora nonnunquam polluantur. Neque verò deſunt nervi, ab oſſe ſacro provenientes, per quos ſpiritus animalis ubertim affluere poſſit; vid. Anatomicos.

Quid? quod Democritus, ut Gal. habet *Comment. 1. in l. 3. epid. Hipp. f. m. 600.* coitum μικρὰν ἐπιληψίαν εἶναι τὴν συνȣσίαν aſſeruit, proculdubio, quod aſſimilis ſit motui convulſivo. Quod ſi eſt, quis dubitet, ſpirituum animalium influxum abſolvere haud leve in coitu penſum? vid. Nancel. *Analog. microcoſm. ad macrocoſm. l. 10. f. m. 1589.*

Solius tamen ſpiritus animalis beneficio penem erigi, non ſine periculo aſſeritur; neque enim cujusvis obtemperat arbitrio, ſed irritamento indiget; effuſoque ſemine, ac evaneſcente ſpiritu velut officio ſuo defunctus vela contrahit ac flacceſcit. Communi igitur ſtudio utraq;, & vitalis, & animalis facultas in hoc opus conſpirare videntur, ut nec animalis refragante vitali, nec hæc ſine animali officio ſuo promptam ac idoneam reddere hanc partem queat. quapropter nec Galeno ejusdemque aſſeclis, nec cæteris, qui divortium ab ipſo feciſſe videntur, abſolutè contradicendum putamus, ſed ſi ſoli aut animali, aut vitali ſpiritui hoc opus acceptum ferre velint; concludentes, non tantùm ad functionum vitalium, ſed & animalium vitia hunc affectum pertinere.

Non deſunt, qui inter morbos hunc affectum retulerunt, Autores graviſſimi, quorum plerique impotentiæ nomine uſi ſunt; nec perperam. Impotentia enim quia facultati opponitur, læſa actione naturâ prior eſt. Verum cum illa non unius generis ſupponat morbos, velut præſtantiorum partium impotentiæ in univerſum, atque idcircò definiri nequeat, niſi aut generali

nerali admodum conceptu rem explicare, & vix primoribus, quod ajunt, labris attingere, aut prolixè recitare cauſas ſingulas velis, conſultiùs nos facturos judicavimus, ſi ſymptoma unius generis ex diverſis cauſis ordine decenti enumerandis deduceremus, atque adeò affectum præſentem ex ſymptomatum potiùs, quàm morborum genere definiendum ſumeremus.

# *Caput III.*

Subjectum impotentiæ genitale membrum; cujus quamplurima apud Poëtas, aliosque ſcriptores ſynonyma. Ambiguitas nominis explicatur, & partes penem conſtituentes præcipuæ; cuticula, præputium, corpora nervoſa, eorumque origo, glans, corona, urethra, arteriæ, venæ, nervi enarrantur: ejusdem ſitus, figura, & magnitudo, cum in individuo, tum in ſpecie inæqualis.

OStenſum hactenus, ad quod genus affectuum p. n. referri mereatur genitalium in viris ignavia, Jam de ſubjecto, reliquam definitionis partem eodem pertextu-ri filo, quæ quidem huc ſpectant, ut proponamus, ordinis ratio monet. Id *penis* nomine in foro Medico utplurimum enunciatur. *colis* Celſo, Sueton. *Veretrum. Virga, membrum virile, genitale*, Medicis; *ſeminale, mentula, vena, contus, telum, ſceptrum, hortus, arma ventris, adſtans inguinibus columna*, Virg. *in lus. Priap. faſcinum, muto*, Horat. Juven. *nervus, Verpa* Martial. & quid non? audit. Plato *in Tim. animali, cui ſit inſitus appetitus generandi, comparat.* Barthol. *anat. ref. l.1. cap.24. p.145.* Sed ne quis, Poëtarum imprimis locis allegatis, intemperantior offendi poſſit, ſtudio ea prætermiſimus.

Communiter non totum id deſignat, quod penis nomine Medici intelligunt, ſed eam tantummodò partem, quæ ab elatiore oſſium pubis ſede propendet, & Græcis aliàs στῆμα vocatur; Anatomici enim & ὑπόστημα eodem nomine aliàs complectuntur, partem puta reliquam, quæ infra oſſium pubis commiſſuram in perinæo ſita eſt; vid. Spig. *fabr. c. h. l.8. c.17. p.321.*

Ejusdem fabricam breviter delineabimus, partesque, quo ſeſe

ſeſe Anatomicis offerunt ordine, deſcribemus inſigniores, quarum, quæ primo occurrunt intuitu, continentes, reliquas diſcriminis cauſa contentas meritò dixeris.

Cuticula conſtat tenui, ſed cute craſſiuſcula, quæ in flaccido laxa, in rigido tenſa apparet; quod partibus hominis generationi, & fœtus educationi dicatis plerisque, mammis, utero, ejusdemque vaginæ, ac ſcroto peculiare; cum enim natura, cujus prudentia æquè in minimis maxima, ac in maximis elucet, prævidiſſet, haud ſine moleſtia & dedecore homines has partes perpetuò turgidulas, patulas, rigidasque circumgeſturos, flaccidas quidem dedit, ſed tàm laxas, ut, quoties uſus poſtularet, ſufficienter diſtendi poſſent. Pinguedinem æquè ac in cerebro, & plerisque partibus nervoſis hîc deprehendas nullam, penis erectioni, voluptati ac formæ, ſi daretur, obfuturam; Extrema cutis pars præputium, Græcis πόσθη & ἀκροβυστία eſt, quam cum Verpi præcidant, *recutiti*, atque Italis *diſcapellati*, *retagliati*, *ſenza preputio*; Gallis *decouverts de ſa peau* appellantur. Bartholinus panniculum carnoſum addit.

His detractis, in apricum ipſius penis genuina facies producitur, duobus conſtans corporibus nervoſis, ſepto, quod Spigelius *pellucidum* dixit, urethra, & glande. Corpora nervoſa, quantum quidem huc ſpectat, meris videntur conſtare vaſorum tenuiſſimis propaginibus, inexplicabili artificio reticulatim intertextis, quibus ſpiritu ac calore turgeſcentibus flaccidum ipſius corpus pendulumque ſecundum omnem dimenſionem extenditur, fervet, erigiturque. horum extrema glandem conficiunt, ejusdem ſubſtantiæ ac indolis, quam extantiori margine, aut limbo, quem & coronam appellant, natura in ambitu inſtruxit, partim ut impenſiori voluptatis ſenſu velut œſtro quodam uterum laceſſeret, maximè verò, ut vaginam undique accuratiſſimè, fermè adinſtar piſtilli in ſyphone, clauderet, ne vel aëri externo conceptum peſſundaturo in uterum concederetur aditus, vel etiam ſpiritus γόνιμος, quo ſeminalis latex luxurians in ſpumam vertitur, citiùs evaneſceret, quàm uterum fœcundaſſet, quem Ariſt. *l. 2. d. G. A.* mox διαλύεσθαι καὶ πνευματοῦσθαι veriſſimè ſcripſit. Qua de re etiamſi in vaſtis Anatomicorum voluminibus, quæ


qui-

quidem nobis videre contigit, altum ſit ſilentium; attentiùs tamen conſideranti facilè veritatis lumen affulſurum confidimus.

Cumque flaccidis, quin & erectis genitalibus limbus ille obliquè verſus foramen urethræ, fœcundi laticis ſcaturiginem, aſſurgat, fas eſt opinari, ideò naturam frænum, quod duabus tantum partibus corporis noſtri ſobriè uſurpandis, linguæ nimirum, & mentulæ conceſſit, appoſuiſſe, ut, dum muliebrem ſinum pandit, acumine quodam præditus ſit; dum vero profundiùs ſubit, unà cum præputio & pars illius limbi elatior retraheretur, ſituque parallelo uteri vaginam arctiſſimè clauderet. Cæterùm corpora iſta nervoſa veſicæ quidem cervici quodammodo continuantur, originem tamen aliundè acceſſere videntur; dum enim coquitur veſica, penis facilè abſcedit. Ad indolem tamen muſculorum, quorum plerique duo tantùm paria agnoſcunt, penem arrigentium, ac dirigentium, quod & Spigelius obſervat, accedere videntur, ſiquidem & ipſi, dum penis aſſurgit, verſus principia ſua contrahuntur, & eodem receptui canente, relaxantur. Inter hæc corpora, quæ principio aliquantulum diſſident, media decurrit urethra, urinæ effundendæ, ſed imprimis ejaculando etiam ſemini, deſtinata, quam intus membrana ſuccingit, ea potiſſimum parte, qua inter glandulas proſtatas conſiſtit, tenerrimi ſenſus, quæ & glandis convexam ſuperficiem undique inveſtit; quæ cauſa eſt, quod calculoſis eadem pruriat. Vaſis ditatur omnis generis, arteriis, venis, & nervis, quos qui negant, αὐτοψία, quâ nullum datur potentius argumentum, convincit. vid. Barthol. *Anat. R. l. 1. c. 24. p. m.* 150.

Atque hæc ipſa vaſa ſpiritum æquè animalem, ac vitalem copioſiſſimè corporibus nervoſis communicant, quem πνευματώδης ex ſemine in capſulis turgeſcente ἀπόῤῥοια inſigniter adauget, ut, donec ſemen in mulieris ſinum effuſum ſit omne, potentiſſimè tendatur. Unde liquidò conſtat, Sennertũ. *m. p. l. 3. p. 9. ſ. 2. c. 2. p.* 949. Galeno, qui *l. 6. d. L. A. c. ult* docuerat, ſpiritum ex arteriis demum ſequi, poſtquam penis extenſus fuerit, haud injuria contradixiſſe. Nimirum quia ſpiritu repletur, erigitur; non verò, quia erigitur, repletur. Velut & in pulmonibus extenſio repletionem ſequitur, non extenſionem repletio.

Situm obtinuit inter inguina in oſſe pubis, totius corporis cen-

centro, æquè ac genitalia mulierum, ut colludere inter amplexus utriusque ſexus partes poſſent, pendulum aliàs, ſed, cum uſus exigit, arrectum; figuram oblongam & teretem, ut haud præter cauſam Catullus columnam appellaverit; magnitudinem & in ſpecie, & in individuo eodem poſſidet diſparem. plerumque minoribus, & naſutis ſtolidisque major eſt, cæteris paulò minor.

Nec ſine periculo contradictionis abſolutè aſſeritur, mentulatiores, quod Apuleji verbum eſt, eſſe, qui à coitu abſtinent, quod Spigelius tribuit Galeno, qui tamen *l. 6. d. L. A. ſub. f. f. m.* 970. unicum tantum exemplum adducit amici, cui, cum præter conſuetudinem ſibi temperaret à coitu, nervus evaſit tàm rigidus, ut oportuerit Medicum conſulere: cæteroquin *l. c.* potiùs contrarium aſſerit, iis nimirum, qui venere non utuntur, pudenda & exilia fieri, &, veluti ſenibus, rugoſa. Saltim verò vel moles nimia, vel nimis curta ſupellex in vitio habetur. vid. Hor. Aug. *ep. & conſ. l.* 10. *fol.* 141. *& ſeqq.* Aliàs natura abunde proſpexit partibus magnitudine diſparibus, dum vaginam utero præfixit peni admittendo æquè majori ac minori accommodam; quod nervosè Spig. *c. h. fabr. l.* 8. *c.* 21. *pag.* 337. ediſſerit, *erigi*, inquiens, *cervicem uteri conveniebat, ut & promptè exciperet penem, cum in corrugatam recta via non penetraſſet, & exceptum commodè amplecteretur. Vndique ergò penem ſtringit, & ſecundum omnes ipſius dimenſiones ſeſe erigit, ſicque brevi occurrit, longo cedit, craſſo dilatatur, tenui conſtringitur. Natura enim ita omnibus penis differentiis conſuluit, ut non opus ſit, ſollicitè vaginam cultello æquam quærere, ſed ubique opificis beneficio inveniatur.* partes cæteras, capſulas, glandulas, vaſa ejaculantia, teſtes, & reliquam, quæ huc ſpectat, ſupellectilem ſtudio compendii prætermittimus.

# Caput IV.

Actio genitalis membri coitus; cujus finis præcipuus humani generis perpetuitas. maribus κατ᾽ ἐξοχὴν tribuitur, & propriis alias nominibus enunciatur.

PRopria penis actio coitus eſt, Græcis ὀχεία dictus, cujus cauſa ipſe erigitur, ſemenque explodit.

 quo-

quoniam enim inter homines ſexus diſcrimen natura conſtituit, nec generare mas ſine fœmina, nec concipere eadem ſine mare poteſt. confer Paul. Zacch. *q. med. leg. l.* 3. *tit.* 1. *q.* 8. *p.* 145.

Ut tanti momenti opus, à quo generis humani pendet perennitas, magna contentione perageretur, complexu utriusq; ſexus mutuo opus erat, quo mulier à mare compreſſa fœcundum ſeminis virus utero exciperet, novaque ſobole parentum fata compenſaret. Neque tamen ſuperficialis poterat ſufficere contactus, ſed uteri penetralia profundius intra pelvim recondita ſpiritus prolificus luſtrare debuit. Ergò parti alias flaccidæ vim conceſſit altius ſeſe erigendi, ut ſinu muliebri demergi, ac urethræ foramen matricis orificio è diametro ſe opponere poſſet. quod dum fit, uterum unâ quatit, atque ex ejusdem vaſis σύμβολον emulget liquorem, ut utriusque ſexus ſeminibus ſimultanea effuſione commiſtis futuri conceptus primas quaſi lineas duceret. Muneris ergò ſui complementum in coitu penis aſſequitur; ipſa verò erectio imperfectum omninò, & alio fine comparatum opus immeritò à quibusdam Anatomicis pro fine ejus ultimo habetur.

Eſt equidem commune utrique ſexui munus coire; ſed præcipué mari competit, ut, quoties fermè Medici coëundi impotentiam nominant, de viris accipiendi ſint; quibus coitus κατ' ἐξοχὴν, & magis activè, ut contra mulieribus magis paſſivè, convenit.

Nec tamen vocabula deſunt, quibus, quod mares præſtant, ſpeciatim, & magis propriè enunciatur. *inire* enim dicuntur, & poëtica voce *cevere*; ac, quod Martiali familiare, *futuere*, ut contra fœminæ, *criſſare*.

Et hæc præcipua ſunt, quæ de præſentis affectus ſubjecto immediato, ejusdemque actione & uſu protuliſſe oportuit, cujus hiſtoriam uberius, & ex profeſſo tradunt Anatomicorum volumina, imprimis Rolfinc. *Diſſert. de part. genit. uſ.* De coitu autem fuſius egerunt Avicenn. *l.* 3. *fen.* 20. *tr.* 1. *cap.* 1. *& ſeqq. fol.m.* 899. Nic. Flor. *ſ.* 6. *c.* 1. *& ſeqq.* Ant. Gaz. *Florid. coron. c.* 32. *& ſeqq.* Dom. Leo Lun. *art. med. ſ.* 3. *l.* 6. *c.* 2. *fol.* 636. *& ſeqq.* Franc. Barb. *de re ux. l.* 2. *cap.* 6. Ant. Mar. Venuſt. *diſcorſ. general. intorno alla generatione de gli huomini c.* 19. *& ſeqq.* vid. & Plut.

6. *ſym-*

*6. ſympoſ. probl. 6.* Cæterùm, qui modi concumbendi conciliari cum honeſtate poſſint; qui verò turpes exiſtant, eleganter & ſolidè demonſtravit Paul. Zacch. *q. med. leg. l.7. t.3. q.1. fol. 537. & ſeqq.*

# Caput V.

Amor ad conſervandam ſpeciem communis omnibus animalibus ſtimulus. ejus rei præter alias rationes exemplum in bombycibus ſingulare. pulchritudinis quænam origo? fundamentum? partes? ſpirituum ad exercendam Venerem neceſſitas & uſus. cur amor deſiderium pulchritudinis?

QUoniam verò ad hoc opus, Spigelio Judice, ex ingenito omnibus pudore, quem ſaltim perfrictæ frontis homines exuunt, plenum rationis & conſilii animal nunquam deſcenſurum eſſet, niſi ſtimulo qnodam, amorem puta, natura compelleret inſito, cujus vim mortalium proculdubio pauciſſimi ignorant, ut & Dii faſces ſuos ſubmiſerint Veneris imperio, & homines ſæpè ejus œſtro perculſi rationis uſum exuânt, uti Plautinus ille adoleſcens, miſerrimum impuræ libidinis mancipium conqueritur:

*Iactor,* inquiens, *crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer,*
*Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior, ita nullam mentem*
*Animi habeo: ubi ſum, ibi non ſum; ubi non ſum, ibi eſt animus.*

Et veriſſimè Maro *Georg. 3.* cecinit:

*Omne adeò genus in terris, hominumque ferarumque,*
*Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,*
*In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.*

Omnium idcirco animis profundiſſimè inſculptum eſt ſpeciei conſervandæ non tantum præceptum, ſed & ſtudium, quod meritò primum in hoc genere motorem dixeris. Nec enim ſidera hic ignis coquit, ſed quæcunque moriendi neceſſitas ſuæ ſubjecit tyrannidi, modò ſexus agnoſcant diſcrimen. Occulto quippe naturæ ad rogum properantis ſenſu velut ducuntur admonenturque, ut, cum idem nequeant individuum, ſaltem eandem conſervent in alio individuo ſpeciem: Unde & ſobolis amor

 ſponte

ſponte promanat. Hoc cum non niſi generationis beneficio, quæ unicum eſt adverſus mortis inclementiam & ſolatium, & remedium, quam idcircò inter univerſa naturæ opera principatum tenere cenſet Fr. Pona *Saturn. proluſ. 5. p.63.* impetrari poſſit, tanto ardore mortalium omne genus naturæ inſtinctum proſequitur, ut ex nulla major, quàm re venerea percipi voluptas vulgò putetur. Imò, quod majus eſt, Marc. Don. *med. hiſt. mirab. l.4. cap. 17. pag.142.* frequentiſſima exempla collegit eorum, qui præ nimia voluptate in venerem effuſi in ipſo coitu expirarunt. conf. Nic. Nancel. *anal. microcoſm. ad macrocoſm. l.3. c.6 f.410.* quod mortis genus dulciſſimum prædicat Ovid. *l.2. amor. el.10.*

Bombycum extremos labores conſidera; tumulum ſibi è propriis viſceribus parant ſericeum, hinc profundo ſopore obdormiſcunt, ut vitâ functos putes. Interea rude corpus velut in utero impenſiori cura elaboratur, & ex deformi verme papilio reviviſcit, qui motu quaſi calcitrationis rupta tunica, cui, veluti fœtus amnio, involvitur, & exeſa folliculi parte, multò perfectior nitidiorque in mundi theatrum prodit; quo fine? Satis jam antea gulæ indulſerat vorando perdius & pernox vermis, generando impotens: jam exſculptis partibus generationi idoneis imminentis propediem interitus memor reliquum vitæ tempus totum amori, nullum gulæ largitur, ut ova ad minimum parturiat, quæ inſequente anno, cum morus germinat, verno ſolis tepori, velut obſtetrici ſuæ, excludenda relinquit. hoc mortis genus, ſibi ut contingat, Naſo voluit.

Non quidem imus inficias, portentoſa fuiſſe monſtra, quorum ſuffragiis, ut prælaudatæ pulchritudini larvam opponerent, conjugia ipſi Diabolo nefaria voce fuerint adſcripta; imò quæ mulierem totam, & viri partes inferiores ab umbilico eſſe opus diaboli audacter dixerint; verum hanc proterviam redarguit non modò ſanctiſſima DEI ordinatio, *Geneſ. c.2. verſ.18.* verùm etiam Reip. maxima utilitas, atque neceſſitas. Quis improbabit in Hadriano Imperatore? quod *l.7. §.3. ff. d. bon. damn. ſe malle,* inquit, *hominum adjectione, quàm pecuniarum copiâ ampliare imperium*; Non alieni erant ab hac ſententia Cenſores in Rep. Rom. quorum munus erat inter cætera, familias cenſere, & vitam cœlibem prohibere. Cic. *l.3. d. ll.* Hinc *Camillus & Poſtu-*

*mius*

*mius Cenſores æra pœnæ nomine eos, qui ad ſenectutem cœlibes pervenerant, in ærarium deferre juſſerunt.* Imò tàm ſtricta hujus legis erat obſervantia, ut etiam illi, *qui quoquo modo de tàm juſtà conſtitutione queri eſſent auſi, pœnis ſubjicerentur: cum natura quemadmodum naſcendi, ita gignendi legem ſcribat.* Val. Max. *l. 2. cap. 9.* Quin & ex conſtitutione legis Juliæ & Papiæ ejusmodi ſocietatis conjugalis oſores nec ex teſtamentis civium Romanorum, neque ex mortis cauſa donatione quicquam capere potuerunt; teſte Ulpiano & *l. 35. ff. d. mort. cauſ. don.* quod tamen per *l. 1. Cod. d. inf. pœn. cæl. & orb.* eſt abrogatum. confer Perez. & Brunnemann. *Comment. in Cod. l. c.* Gœdd. *ad l. 128. ff. de V. S.* Turpe quippe erat, liberos non habere. Ut vero cœlibatus pœnis & ignominia coërcitus eſt, ita πολυτεκνία præmiis ornata. vid. Bernegger. *q. miſc. ex Corn. Tac. q. 120.* ubi inter alia, *apud Lacedæmonios*, inquit, *mulieres quodam feſto eos, qui uxoribus carerent, circum aram trahentes alapis cædebant, ut contumeliam hujusce rei fugientes liberorum amore caperentur, atque apta ætate uxores acciperent.* Imò Corinthii cœlibes honore ſepulturæ privabant.

Ex iſto autem conſervandi propagandique genus deſiderio porrò omnis pulchritudinis fons & origo promanat. hinc Juvenes puellas, & viciſſim puellæ mares depereunt, harumque forma illos, illorum verò has accendit. Perditus ſit, & Sodomitici ſceleris reus, qui ſui ſexus hominum incendi amore ſe patitur. Hanc verò, eamque præcipuam, quæ in ſexus, quatenus ſpeciei propagandæ inſervit, diverſitate fundatur, pulchritudinem auget formæ venuſtas, conſiſtens in exacta partium corporis harmonia, illisque indiciis, quibus integrum viſcerum robur deprehenditur; è quibus primas tenent roſeus ex genarum lacte effloreſcens color, ac habitus ſucci plenus; in quâ faciei, animæ illius domicilii & corporis theatri, imprimis conſervanda JCti, cum pars quædam corporis delicti pœnam luere debebat, ſunt ſolliciti, *l. 17. Cod. d. pœn.* deſcribenda, omnium propè ſeculorum Poëtæ, & partim Oratores omnem facundiæ penum impenderunt, ac hodienum effuſiſſimi in venerem Itali in eodem argumento præ cæteris deſudant.

Notante Paul. Zacch. *q. med. leg. l. 3. t. 1.* adeò à coitu alie-

nnm

num hominem deformitas reddere conſuevit, ut dixerit Tiraq. *d. l connub. p.2.* gravius peccatum eſſe coire cum deformi, quàm cum formoſa. Ne tamen, ſi velis honeſtè ſtipendium in Veneris caſtris mereri, nimium credas colori, lis enim eſt cum forma ob vim, quam poſſidet, veneficii occultam, pudicitiæ magna, magnoque cuſtoditur periculo, quod multis placet. Hinc ex Apuleji partibus *in apolog.* ſtamus, credimusque, virginem & animo & corpore formoſam, pauperem licet, abundè dotatam; Poppææ verò faciem aſininam, aliasque coſmeticis pictas, ac veſano amore faſcinantes deteſtamur; & ſtolidum Luc. Vitell. viri aliàs ingenioſi, conſilium exiſtimamus, qui cœco infamis cujusdam libertinæ amore irretitus uſque adeò fuit, ut nihil non homine indignum patraret, & inter cætera ſalivam impudicæ amaſiæ cum melle miſceret, eaque ceu balſamo quodam arterias & guttur crebrò ad aucupandam ejus gratiam inungeret; quin potiùs nos Medici partes hîc acturi quatuor cum Philoſophis moralibus commendamus adverſus hoc malum remedia; *declinationem occaſionis, fugam otii, temperantiæ ac pietatis ſtudium,* vid. Greg. Horſt. *diſſ. d. nat. amor.*

Agmen claudit morum elegantia, & affectuum propenſio. His incitamentis admonita phantaſia, ut plenis velis deſiderii ſcopum proſequatur, facit, ut ſpiritus æquè animalis, ac vitalis (affectus enim omnes utriusque gaudent miniſterio) in has partes uberrimè confluant, quarum opera in tanti ponderis negocio uti oportebat; quibus cum natura ſenſum dederit tenerrimum, tanta excitatur pruritum extinguendi libido, ut vel nolentes in obſequium Veneris compellat.

Eodem autem ſpiritu teſtes in utroque ſexu laceſſiti præſentem ſeminalis humoris materiam, qui in corporibus ſucci plenis, & ad pubertatem perductis naturaliter nunquam deeſt, vehementer ſubigunt, ut inteſtino particularum motu turgeſcens, cupidinemq; ardentiori voluptate irritans vaſa ejaculantia inſtiget.

An verò ex omnibus membris ſemen decidat, an ex ſolis vaſis ſeminariis? quo minus hic diſquiramus, compendii vetat ſtudium; vid. Fr. Valleſ. controv. *l.2. c.7. f.67.* & Nancel. *anal. microcoſm. ad macrocoſm. l.10. f.1632. & ſeqq.*

Ex

Ex quo clariſſimum evadit, quo ſenſu plerique, cum Medici tum Philoſophi, amorem dixerint deſiderium pulchritudinis. Nimirum pulcherrimum cum ſit conſervare ſpeciem, parem laudem merebuntur, quæ ad hunc ſcopum tanquàm media, quorum omnis ex fine pendet dignitas, ducunt; ſexus, partes genitales, earundemque uſus. vid. Caſp. Calder. d. Hered. *trib. med. mag. & pol. p. 2. ſtat. 5. art. 6. & ſeqq.* Ubi de amore, ejusque cauſis ac differentiis: & *ſtat. 6 art. 7. & ſeqq.* ubi de pulchritudinis corporis cauſis & accidentibus prolixiùs diſſerit. Paul. Zacch. *q. med. leg. l. 2. t. 1. q. 10. f. 28. de amantibus.* Athanaſ. Kirch. *art. magn. l. 3. p. 9. cap. 1. f. 605. & ſeqq.* Bokel. *d. philtr. c. 2.* Greg. Horſt. *l. c.*

# *Caput VI.*

Impotentia plerumque ſignis non indiget. Silvaticus redarguitur. quibus indiciis deprehendendi, qui fateri impotentiam nolunt? cautè de iisdem ſententia ferenda in cauſa divortii. Laudatur Decretum Conſtantienſe.

EQuidem rei venereæ impotentia ſignis non adeò indiget, ſed vel ipſi ægri, qui ſe impotentes perſentiſcunt, ea de re coram Medicis conqueruntur, vel eorundem Uxores, quarum plerarumque vota hoc verſantur cardine,

— — *Vt ludat in aula*
*Parvulus Æneas, & filia pulchrior iſto.*

id revelant. His querelis niſi de affectu conſtet, plerumque & ſagaciſſimos ea res fugit. vid. Fel. Plater. *l. 1. obſerv. p. m. 250. & ſeq.* falſum tamen eſt, quod Joh. Bapt. Silvat. *l d. iis, qui morb. ſimul. deprehend. cap. 7. p. 31.* aſſerit: *Hanc impotentiam propalare ejus ſolius eſſe, qui eam perſentit, atque quamvis eam quis non perſenſerit, ab ejus tamen voluntate multa ex parte re hujusmodi dependente, ipſum ſolum rei hujus judicem & confeſſorem videri.* Idipſum enim exemplum Antonini Caracallæ à Xiphil. in ejus vita annotatum redarguit; qui *ex morbo factus impotens cum virginem veſtalem Clodiam Lætam ſtupràſſe diceretur, & illa viva ſepelienda eſſet, clamavit: ipſum Antoninum ſcire, ſe virginem*

 *eſſe,*

*eſſe, quodque propter impotentiam virum ſe præſtare non potuerit, quod poſtea ille faſſus eſt.*

Quod ſi tamen, de quibus ſuſpicio eſt, ſubruſtico pudore morbum fateri nolint ſimulentque, (velut & contra dantur, qui ex protervia impotentes ſe fingunt, ut cauſa prætendi divortio poſſit) certis nonnunquam indiciis, aliquando verò conjecturis tantùm deprehendi poſſunt. ea autem pleraque ex cauſis prægreſſis, quæ impotentes reddere potuerunt, ſive internis, ſive externis deſumuntur, de quibus cum deinceps ordine agendum, hic ſufficiat generatim quædam annotaſſe.

Solent autem plerumque illi triſtes eſſe & effœminati, quod Paul. *l. 3. c. 58.* teſtatur, & mulieres odiſſe, ac vel formoſiſſimas reſpuere. Parum præterea à conjugibus amantur, ſed occultis plerunque diſſidiis diſtrahuntur. Partes etiam pudendæ iisdem & exiles, & rugoſæ, quod Gal. habet, *l. 6. d. L. A. c. ult.* ſæpè & imberbes, ac quibus vox acuta, tales exiſtunt; ſpiritu enim γονίμῳ deſtituti, quod caſtratorum exemplis clarum, frigidiores evadunt, ſomnolenti ac timidi. Cumque cicatrices, quæ ex venarum poſt aures ſectione, vel uſtione ſuperſunt, vix ullo occultari ingenio poſſint, ſi vera ſunt, quæ Hippocr. habet *d. A. L. & A. pag. m. 76.* facilè ex iisdem deprehendi impotentes poſſunt; velut & ſi conſtiterit, ipſos aſſidua equitatione enervatos, ibid. plura præter conſiliorum & obſervationum ſcriptores dabit Silvat. l. c.

Hoc tamen monemus, non illicò pro impotentibus habendos, qui præſentibus aliis coire nequeunt, pudorem enim metumque omnem faceſſere oportet, ſiquis Veneri litare debeat. præſentibus autem arbitris res plerumque infelicius geritur. Hoc prudentiſſimè adverſus alios Horat. Augen. *ep. & conſ. t. 2. l 5. fol. 38.* in cauſa divortii admonuit; *manifeſtæ*, inquiens, *adfuerunt cauſæ, à Medicis conſcriptæ, impedientes erectionem, odium ſcilicet, commemoratio rerum præteritarum, quæ vel maximè ad illius honorem pertinebant. Rixa, tumultus cum ſocru, & ſocero, & verecundia. ſciebat enim præ foribus aſſiſtere obſtetricem, Archepiſcopalem Notarium, quatuor Medicos, ut magnam aliorum turbam prætermittam. Recordabatur, præcepiſſe Medicos illi, ut erectum oſtenderet penem, antequam cum conjuge rem haberet;*

*quin,*

*quu, ſi hæc vera ſunt, erigeret penem, aut coëundi deſiderium non ſtatim amitteret?* Nec immeritò Silv. *l.c.* laudat Decret. Conſtant. ne citiùs diſſolvatur matrimonium, ubi impotentiæ poſtulatus fuerit maritus, quàm triennium præterlapſum ſit, ut certius interea de re admodum ſæpe intricata, & num vitium ſit naturale, nec ope Medicorum ſanabile, conſtare poſſit. *c. 3. & 5. X. d. frig. & malef.* vid. Cald. d. Hered. *trib. med. mag. p. 2. ſtat. 7. art. 13. ſ.* 44. Signa cauſarum in ſpecie ſuis capitibus conſiderabimus ſingula.

# Caput VII.

Cauſas impotentiæ Medici eas maximè conſiderant, quæ ab intemperie & maleficio proveniunt, vitia verò organica chirurgis relinquunt. quænam ad coitum imprimis requirantur? Cur peccent, quæ caſtratis nubunt, fœminæ? tres impotentium differentiæ, earundemq; exempla quædam rariora. cauſarum in diverſa capita diſtributio.

PRoximum eſt, ut, quibus cauſis impediatur pars, qua viri ſumus, quo minus officio ſuo fungatur, oſtendamus. quarum licet plurimæ exiſtant, à plerisque tamen Medicis, Veteribus & recentioribus eæ tantùm huc referuntur, quæ pene numeris omnibus abſoluto ac integro etiamnum ejus erectionem ſeminisque ejaculationem, quibus partibus coitus fermè conſtat, præpediunt. Is enim propriè coit, qui nervo rigidiore ſinum muliebrem ſubit, eundemque genitali ſemine perfundit. Ut autem ſeminale membrum erigatur, ſecundum Capivacc. *l 3. c. 34. p. m.* 767. ſpiritus requiritur, non tàm craſſus, qui quorundam error videtur, quàm copioſus. alterutrum tantùm qui præſtant, impotentes meritò appellaveris; neque enim ſeminis ejaculatio niſi erecto genitali, nec erectio ſine ſeminis emiſſione quicquam aliud videtur, quàm conatus ſine ſucceſſu. Unde & proverbio eunuchi potiùs facere, quàm patrare, dicuntur.

Quandoquidem verò, quod quisque, ſi profundiores animi receſſus ſaltim obiter inſpexerit, facilè intelligit, non alio

ſine naturam & partes genitales dediſſe mortalibus, & impetum, amorem ſcilicet, indubium eſt, niſi ut genus humanum conſervetur, gravius, quàm ipſi ſpadones & eunuchi mulieres peccant, quæ iſtis nubunt; nec enim, ut naturæ, quod ipſa potentiſſimo inſtinctu juſſit, morem gerant, eunuchis ſeſe proſtituunt, ſed ut pudendo & inexplicabili ſcelere tantùm laſciviæ indulgeant, irritumque reddant naturæ conſilium.

Parùm ergò in præſens ad nos ſpectabunt aliæ cauſæ, quæ quovis alio pacto genitalium uſum ſufflaminant, cujusmodi ſunt, teſtium compreſſio & defectus, genitalium mutilatio, vulnera, ulcera, tumores, aliique morbi organici, qui ſignis non adeò indigent, ſed oculis uſurpari palparique manibus poſſunt; quos idcircò ad chirurgos potiùs ſpectare, rectè ſtatuit, Sanchez, *d. morb. intern. c. 31. p.m.* 197. cæterum vix quisquam prolixius eas expoſuit Montagnana, *conſ.* 15. *f.* 29.

Etiamſi verò ex his multa ſint, quæ irrecuperabilem pariunt harum partium uſus jacturam; quoniam tamen primò alia affectuum ſpecies ſenſibus ſeſe offert, quàm coëundi impotentia, ad id potiùs affectuum p. n. genus, quod illicò cuivis inſpicienti oſtendunt, quàm ad impotentiam ſpectant. Ut compendio dicamus: ejus impotentiæ cauſas venabimur, quæ non tàm à priori, ut loquuntur Philoſophi, quàm à poſteriori & ex irrito coëundi conatu judicantur.

Quapropter nihilominus ad nos etiam ſpectare putamus exemplum, quod Matth. d. Gradi. *conſ.* 3. enarrat, viri cujuſdam, qui coiturus ſemen quidem emittere, nec tamen erigere membrum potuit. Quod ex vaſorum ſemen vehentium, ac pororum, per quos ſpiritus diſſipatur, laxitate contigiſſe, Marcell. Donat. *d. med. hiſt. mir l.* 4. *cap.* 18. *pag.* 144. confirmat, adducta hiſtoria ex Veſal. *l.* 5. *hum. fabr. cap.* 13. Etiamſi enim hæc ad morbos organicos referenda videatur, quoniam tamen ſenſibus non illicò pateſcit, & medicamentis adſtringentibus potiùs, quàm manuum operâ curatur; inſuper verò & intemperiem conſequitur, majori jure Medici hanc ſibi vindicabunt, quàm chirurgi. vid. Bened. Silv. *cent.* 4. *conſ.* 3. *f. m.* 471.

Quoniam enim, ut antea dictum, duo imprimis requiruntur, ut poſſe aliquis, (ſalvis nimirum iis punctis, quæ ad organicam

nicam hujus partis conſtitutionem pertinent) verè dicatur; erectio colis & ex attritu inſecuta ſeminis ejaculatio, palàm eſt, quasdam cauſas pari paſſu utrique officere, quaſdam verò alteutri tantùm; dantur enim, qui erigunt, nec tamen ejaculantur, quos ſimiles militibus dixeris, qui aut inanem bombardam in alios dirigunt, aut plumbea quidem glande gravidam, ſed inerti ac ſtupido pulvere pyrio, qui impetum ab igne non concipit, inſtructam explodere ſatagunt. ſic refert Foreſt. *l.26 obſerv.18. in ſchol. rarioris & ſiccioris temperaturæ juvenem quendam, cum nuper duxiſſet viduam, ſibi conqueſtum eſſe, (ut & alios non paucos) ſe, cum coitu uteretur, pene licet optimè extento & rigido, ſemen tamen emittere non poſſe.* Dantur contra, qui emittunt quidem, aſt non erigunt, quos ejaculari perperam dixeris; impulſu enim opus eſt ac impetu, quo illi neutiquam gaudent. Dantur poſtremò, & hi miſerrimi omnium, utrinque inertes, quibus cupido tantum velle dat, poſſe abnegat. Rariſſimi exempli caſus proponit Marc. Don. *l. c.* de adoleſcente quodam, *qui confeſſus eſt, ſe, quando cum muliere rem haberet, ſemen effundere non poſſe, cùm verò dormiret, plurimum ei ſemen prodire.* cujusmodi hiſtoriam etiam narrat Mercur. *m. pract. l. 3. cap. 39. fol. 399.* (qui tamen nimium dixiſſe videtur, ejusmodi homines *dormientes perficere coitum*, aſſerens; etiamſi enim erigant, ſemenque emittant, coitum tamen idcircò non celebrant) ut adeò ipſi experientiæ contradixiſſe videatur Plater. *obſerv. l. 1. p. m. 258. Naturaliter accidere minimè poſſe*, exiſtimans, *ut viris membrum virile attollatur, ſine præcedente veneris ſtimulo, qui cum à ſemine in vaſis genitalibus pruriente, eaque ad excretionem incitante excitetur, illos quoque, ſi congrediantur, ſemen emittere.* Id. Marc. de alio, itidem adoleſcente, *qui ſe vehementer coitum appetere confeſſus eſt, verùm ubi commiſceretur, ſemen emittere non poſſe, ſed flatus plurimos ſibi per ſedem erumpere.* qualem caſum etiam obſervat Amat. Lus. *cent. 6. cur. 95. in ſchol.*

Sed ad duo potiſſimum capita eas cauſas omnes referemus; aut enim corporum naturalium, & quæ his accidunt, circulo continentur, aut improbus Dæmon inexplicabili nodo rem involvit, quem aliàs ligationem dicunt. Quæ primum caput expediunt, viciſſim triplici rerum claſſe comprehenduntur. aut enim

nim corpus noſtrum velut partes conſtituunt, eidemque naturâ accidunt, aut promiſcuè ad ſanitatem conſervandam, labefactandamve faciunt, aut prioribus adverſantur, quæ communi Medicorum formula res naturales, non naturales, & p. n. dicuntur. Ex ſingulis non, quæ poterunt huc trahi, omnia accerſemus, ſed, quæ vix ſicco pede præteriri, delibabimus.

# *Caput VIII.*

Quo ſenſu natura cauſa morborum dici poſſit? non frigidum tantùm, ſed & calidum ſiccumque temperamentum impotentiæ cauſa. eadem occaſione &, quo intemperies inertes efficiat pacto? explicatur; quæ vel totius, & affectum propè incurabilem inducit; vel partium tantùm genitalium. Vtriusque ſigna. frigida teſtium intemperies toti corpori noxia, muſculorum à frigida cauſa paralyſis. rara impotentia ab intemperie calida & ſicca.

SEctabimur ergò ordinis propoſiti veſtigia legesque, exordium ab iis ducturi, quæ naturâ inſunt, ex his præter temperamentum vix quicquam eſt, cui genitalium ignaviam jure imputare poſſis. Ne tamen ipſam criminis poſtulare naturam, benigniſſimam cæteroquin matrem, videamur, quaſi ſui ipſius quodam ſeu odio, ſeu tædio inertes has partes reddat, ut inexplicabili utplurimum veterno obtorpeſcant, non niſi lotio fortaſſis expurgando idoneæ, præcipiti quorundam errori occurrendũ. Longiſſimè profectò alienum à naturæ genio, finis, cujus cauſa hanc partem condiderat, faſtidio teneri, quæ ne quidem abjectiſſima animalcula feriari ab hoc opere ſinit; Vellet enim eadem nolletque idem. Verum dum ſingulis gradum temperamenti peculiarem attribuit, notasque in corpore ſingulares expreſſit, ut non ſolo numero individua diſcernerentur, ſed præterea accidentium diverſis generibus, quæ etiamſi toti ſpeciei ex æquo conveniant, diverſimodè tamen computata, aut combinata affectionem producunt, quæ huic individuo ſoli, non æquè aliis convenit, ut vel bruta genuinum poſſeſſorem prima ſtatim fronte agnoſcant. Ejusdem verò temperamenti ad indi-

viduam

viduam elementorum proportionem reducti ope etiam proclivitatem in hunc vel illum morbum peculiarem impreſſit, quam potentiam paſſivam recipiendi cauſarum p. n. influxum, aut conditionem ſubjecti Philoſophorum phraſi aptè diceres. Hanc cum Medici πράξεως, quàm ſubtilitatis & λογομαχίας ſtudioſiores & ipſam cauſæ minus ἀκριβῶς acceptæ charactere exprimant, id unum jam nobis incumbit, ut mentem ipſorum ſic interpretemur, ne detur convitio locus.

Nunquam verò natura ſibi relicta cauſa morborum exquiſito ſenſu, quaſi data opera hos intenderet, dici poteſt, quod ſolum ejus prudentiæ ac bonitati adverſum videri poterat; niſi fortaſſis tanquam cauſam remotam accuſes, quam circumſtantiæ æquè nonnunquam in perniciem corporis determinant, ac ſolem, qui benefico caloris influxu, quicquid ſub lunæ concavo auram trahit vitalem, fovet, rerum corruptioni contingit operam navare; caſu enim ſcopus naturæ nonnunquam pervertitur, ſiniſterque vota fallit eventus. Hoc ſenſu Hippocr. *in aphoriſm.* paſſim diverſæ hominum ætati diverſas attribuit morborum ſpecies. vid. Kirch. *d. peſt. ſect. 2. cap. 2. pag.* 210. Quapropter cum ab utroque, & morbo, & valetudine leges civiles impotentiam provenire ſtatuunt, aut error ſubeſt, aut eædem valetudinis nomine abutuntur, aut in hunc ſenſum explicanda limitatio Ulpiani in *l. 6. ff. d. his, qui S. vel A. l.* & *l.* 15. §. 2. *ff. d. Adopt. & Emanc.* Neque enim opinor, JCtum valetudinem & morbum habuiſſe pro ſynonymis. Nam manifeſta, præſertim in l. priore foret ταυτολογία. Veroſimile tamen eſt, valetudinem accepiſſe pro eo ſtatu, quo homines non quidem inculpatæ ſanitatis ſunt, non tamen eouſque laborant, ut populari etiam ſermone ægrotare dicantur.

Inſuper & ſanitas quandam habet in temperamentis latitudinem, nec illicò pro intemperie habetur, quicquid à perfectiſſima regula, temperamento nimirum ſanguineo ullatenus deflectit; ſed quod ſic aberrat, ut ipſius ſolius culpa functiones manifeſtò lædantur.

Ut autem è diverticulo in viam redeamus, licet temperamentum tantum frigidum plerique accuſent Medici, exemplum tamen, quod Foreſtus habet, præcedenti capite allegatum demon-

monſtrat, calidam etiam ſiccamque conſtitutionem impotentes efficere, non tàm quod neutrum poſſint, ſed quod tantùm erigere. Nec ipſa refragari ratio videtur; deeſt enim in nimium ſiccis debita ſemini humiditas, ſolumque ſpiritus, ut erigant, ſufficit, maximè ſi teſtes calidiores ſicciores que fuerint.

Cum verò intemperies manifeſtò actiones lædens eadem ratione ἐνέργειαν ſuam exerat, qua temperamentum à perfectiſſima normâ quoquo pacto deflectens, hîc una fidelia duos dealbabimus parietes, exemplo intemperiei, quæ gradus eſt temperamenti aberrantis, demonſtraturi, quomodo utrumque generationi obſtet.

Eſt autem intemperies vel totius, vel partium generationi dicatarum; eademque utrinque intelligenda diuturna potius, tranquilla & ſtabilis, quàm quæ inteſtino partium conflictu, quem aliâs putredinem vocant, conſtat, & brevi tempore finitur, vid. Willis *d. febr. & ferment.* Totius intemperies frigida utrumque, & colis erectionem, & ſeminis ejaculationem, illam tamēn maximè arduam, imò & impoſſibilem reddit; erigi enim penis nequit, niſi ſpiritu abundè ſuppetente, quo contrahantur ejusdem muſculi, turgeſcatque nervus. frigidi autem qui ſunt, non Veneri tantùm non poſſunt litare, ſed nec cætera, quæ viros decent, dextrè perpetrant; his quippe nec ingenium ſolers, nec audax animi ferocia, nec corporis robur, difficiles verò, quibus efficaciter aliquid cupimus averſamurque, animi motus; Corpus molle & effœminatum, omniumque functionum languor & ignavia. Vereor, ne fallat alios, fallaturque ipſe Capivacc. *l. 3. cap. 34. fol.* 148. hoc ſolum ſuppeditans: ***ubi barbam albicantem conſpicitis, impotentes dixeritis***: ſcilicet de ſua gente forſan verum dixit, Septentrionales verò parùm novit populos.

Sæpè tamen ſola ipſorum genitalium obſtat intemperies, partibus reliquis culpa vacantibus, quam inde cognoſces, ſi vel ipſa nequeat Helena formoſior Glycerium ſopitum in his partibus provocare ignem, easque ſalaci irritare prurítu. Tales prima ſtatim fronte, ſi cæteroquin ſani varices in his partibus habuerint, deprehendes, vid. Ariſt. *ſect.* 4. *probl.* 21. *Caſp. Cald. l. c. p.* 40 Barthol. Montagn. *conſ.* 15. *p.* 30. *frigus actuale, venarum anguſtiam,*

*anguſtiam, parvitatem, mollitiem, & ponderoſitatem membri* addit. Nunquam tamen adeò inerti frigore hæ partes obtorpuerint, quin aliquid noxæ in totum corpus redundet; cum enim autoritate Gal. teſtes ſint velut alterum cor, imò ipſo corde præſtantiores, *l.* 1. *d. ſem. p. m.* 1048. reliquæ partes nunquam impunè ferent horum viſcerum ſocordiam; nam & refrigerante medicamento, cum cruor ſupernis potiſſimum partibus immoderatiùs effluens perniciem minatur, aut febrili incendio ſanguis flagrat, teſtibus applicato, ſæpè præſentaneam ægris opem ferunt Medici.

Aliquando & muſculi à frigida cauſa laxantur ſolvunturve, aut pituita nervorum fibræ inferciuntur, arteriarumque ſubtiliſſimæ propagines, quæ ſpiritibus animali ac vitali conceptis diſtendi primum ipſæ, deinde & diſtendere penem debebant. exemplum elegans vid. *ephem. curioſ. ann.* 3. *obſ.* 41. Silv. *Conſ. & Reſp. cent.* 4. *conſ.* 3. *p.* 471. hoc caſu multoties ſemen copioſum effluit, ſed ſine cujusquam voluptatis ſenſu, aut ad Venerem ſtimulo; quisquis enim, niſi obſtetricante Venere, ſemen effuderit, fumum vendet & cerea pugnabit haſta.

Verum ſicca & calida intemperies rarius quidem hunc affectum producit; adeò, ut, cum plerumquè frigidi ſint impotentes, viciſſim impotentes frigidorum nomine intelligantur; parũ enim abeſt, quin recurrant. Exempla tamen non deſunt, quibus id confirmari poſſit. Nec ignotum, Medicorum ſcholis uſitata remedia, Venerem nimiam compeſcentia, haud mediocriter eſſe calida, quæ ſingulari in partes genitales proclivitate, aut genituram diſſipando, aut vaſa pampiniformia ipſosque teſtes, qui nihil aliud, quàm minimorum vaſorum qs. glomi eſſe videntur, exſiccando, indeque humori ſeminali vias præcludendo, ſalvo licet conatu, Venerem reddunt irritam, quorum præcipua deinceps conſiderabimus.

Cæterùm ex eadem claſſe ut impuberes, aut decrepitos, quos velut officio defunctos, atque à Venere rude donatos, Poëtæ exfututos, appellant, huc referre velis, cauſa nulla eſt; etenim eos tantùm huc ſpectare putamus, qui, cum per ætatem poſſe deberent velintque, non poſſunt tamen.

# Caput IX.

Qui amori adverſantur, affectus impotentiam fovent omnes. magis tamen ex deliberatione profecti & contumaces, quàm extemporanei & tranſitorii. Clericos vix ſeriò averſari Venerem. exemplum modò dicta confirmans.

HAud exiguam natura curam geſſit individui conſervandi, dum famem ſitimque potentiſſimos ſtimulos animalibus, imò & ſuo modo eſurientibus ſitientibusque plantis dedit, ut invita licet ab interitu vindicare ſeſe omni ſtudio connitantur. ſed majori profectò incitamento ad ſpeciei conſervationem compellit, dum pleriſque omnibus amorem indidit. Neque aliud voluiſſe ſapientiſſimus mundi Architectus videtur, dum potenti verbo creſcere juſſit & multiplicari; hunc ſtimulum niſi ſenſerint, qui obtemperare iſti præcepto cupiunt, æquè in limine hærebunt, ac navis in portu, cum mare halcyonium Æolo vacat. Impetus verò iſte in decrepitis ſponte expirat, in juvenibus verò ac mediæ ætatis viris à contrariis affectibus gravioribus aut opprimitur, aut ſufflaminatur; quicquid enim nebulam offundit animo, inimicum Veneri.

Horum aliqui ſaltem πρόσκαιροι ſponte vaneſcunt; quidam verò nullo placari poſſunt lenocinio. in priori claſſe terrorem timoremque collocamus, cujus ſpecies quædam verecundia eſſe videtur; quibus Alex. Trall. addit *converſionem animæ ad intellectum*, i. e. profundam contemplationem.

Hæ verò cauſæ amorem potius ſuſpendunt, cui oportuiſſet frœna laxare, quàm eidem adverſantur. Sed brevi utplurimum tempore, quæ terrorem incutere poſſunt, evaneſcunt, remotisque arbitris verecundia animo expungitur. Hinc *ſæpè adulteri & ſcortatores*, ut Sennert. inquit, *M. P. l. 3. p. 9. ſ. 2. c. 2. ſemen profundere non poſſunt, dum aliorum adventum timent*, ſalaciſſimi cæteroquin Veneris nepotes. Aſt faſtidium & odium, qui affectus contumaciſſimi ſunt, amorem ſede ſua ejiciunt, eidemque ex aſſe adverſantur. Nec tamen æquè ac priores illi univerſas detrectant, qui odio flagrant, ac faſtidio tenentur, ſed tan-

tùm

tùm ſeu corpore ſeu animo deformes. Qui verò religione nimia & ſerio conſilio cupidini dicam ſcripſere, pauci ſunt; &

—— —— *Vix totidem, quot*
*Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.*

Nimirum tàm ſtupor iſte ſcriptorum moralium judicio naturæ, quæ ad voluptates nos finxit proniores, inde poſt pelliceas tunicas corruptæ adverſus eſt, ut vix reperias quenquam, qui adeò nunquam amaverit, ut præterea oderit omnes. Clericos non habitu tantum ſimulare, aut profiteri caſtitatem ac Veneris faſtidium, ſed & ſeriò fugere, & odiſſe fœminas,

—— —— *Credat Iudæus Apella,*

non ego, qui nunquam mihi perſuadere potui, ſub omni cucullo inviolatam æquè ac juratam hoſpitari caſtitatem. Lepidiſſimam hiſtoriam Foreſt. habet *l.26. obſ.*10. *p.m. 69.* vid. etiam Thom. Lans. *orat. contr. Ital. ſub finem.*

Sunt autem ſpiritus immediatum animæ ὄργανον ad quævis obſequia promptiſſimum. quare, ſi animum gravioris momenti cura & ſollicitudo occupaverit, fruſtra aures lenociniis vellicabit Venus, oculosve faſcinabit. Spiritus enim animales intra cerebri abditos receſſus coërciti partibus reliquis parum ſuppetunt. Multò minus, ſi fœmina tractanda ſit deformis, aut moribus prædita aſperis, nam

*Moribus & forma conciliatur amor.*

Cujusmodi caſum & feſtiva oratione enarrat, & ſolerti ingenio reſolvit Rolfinc. *med. conſult. l.*10 *conſ.*1. *pag.*853. etiamſi enim, qui oderunt, ſpiritus emittant ſatis copioſos, nunquam tamen in eas partes explodent, quibus quàm maximè gratificari aliis cupiunt, (nec enim odio, ſed benevolentiæ easdem natura conſecravit, quibus Veneri, non Marti litamus) ſed in manus, oculos, pedes, quibus propulſare, quicquid adverſum ipſis videtur, conantur.

Exemplum addam, quod clariſſimè, quæ hactenus dicta, confirmat.

*Vixerunt in Patria, forſan adhuc ſuperſtites, Fridericus* Gold/ *& Barbara* Gerwigin/ *qui ſolenni ritu matrimonium contraxerunt, factum, ut non tantùm ſubnoctem, cum ſponſus mariti officio conſummare nuptias vellet, ſed & inpoſterum ſponſa obſequi-*

 *um de-*

*um detrectaret, fictas prætendens cauſas. Inde maritus odio accenſus, quod primum voluit, & dubio procul valuit (præſumptio enim pro eo eſt, arg.*c. 1. X. de frig. & malef. *Weſembec.* ff. d. prob. & præſ. n. 15.) *deinceps ne quidem, cum vellet, potuit. Quæſtio hinc orta de divortio, maritusque impotentiæ coram* Senatu Sereniſſimi Marchionis &c. &c. Principis ac Domini *mei Clementiſſimi Eccleſiaſtico accuſatus, cui* ὁ νῦν ἐν ἁγίοις *Parens meus Advocati Patrocinium præſtitit. Magiſtratus itaque, cognita cauſa, Medicorum, ut in ejusmodi caſibus par eſt, adſcivit conſilium, inſpectionemque, ut vocant, corporis commiſit* D. D. Mæglingo, Sereniſſimi Principis Archiatro, & Diœceſeos Pforzheimenſis Phyſico *Ordinario, &c: qui, ut eſt ingenio perſpicaciſſimus, rerumq; variarum uſu Experientiam ſibi comparavit maximam; unâ cum duobus Chirurgis cauſas impotentiæ exploraturus in corpore nullas invenit, quæ quidem ab organico vitio potuiſſent provenire, ſed genitalia æquè benè conſtituta ac in aliis validi femoris juvenibus deprehendit. cui quidem ſententiæ deinceps ipſe eventus robur addidit; etenim cum irreconciliabili odio conjugum animos diſtrahi Iudex animadverteret, matrimonium iſtud divortio ſolutum, ac utrique parti nuptias ſecundas contrahendi facultas conceſſa; Deinceps contigit, ut, quod ab hominibus fide dignis mihī relatum, æquè facilè reus, antea impotentiæ accuſatus & damnatus, liberos genuerit, ac inviſa Conjux ex alio concepit.*

Hæc cauſa, cur cantus hilares facetiasque commendent Medici ignavis.

# *Caput X.*

Locus Hippocr. de ſterilitate Scytharum. Ariſt. Hipp. conciliatur, Cur venarum poſt aures inciſio ſteriles reddat? Cur

auri-

auriculis mutilentur fures? Cerebri cum teſtibus conſenſus ſingularis. Scythæ cur μακροκέφαλοι?

ATqui, ut jam ſpeciatim quædam ponderemus, quæ frigidam nimis calidamve intemperiem inferre poſſunt; primò occurrit locus illuſtris ex Hipp. *l. d. A. A. & L. p.m. 76. Scythas*, inquit, *ex equitatione prehendunt diuturnæ ex defluxione affectiones; (quæ κέδματα dicuntur) nimirum ſemper pendentibus ex equis eorum pedibus. deinde qui vehementer ægrotant, claudicant, iisque coxendices contrahuntur. hâc autem ratione ſibi medentur. cum ægrotare cœperint, utramque venam poſt aures incidunt, cumque ſanguis effluxerit, præ imbecillitate ſomno corripiuntur & obdormiſcunt. deinde alii quidem ſani excitantur, alii minimè. ac mihi quidem videntur hac curatione ſeipſos perdere. juxta aures enim venæ ſunt, quas ſi quis incidat, ſectione ſterilitatem inducunt; has igitur venas mihi ſecare videntur; poſtea verò, ubi ad uxores accedunt, neque cum iis rem habere poſſunt, primùm nil animo reputantes quieſcunt, cum autem bis, ter, aut ſæpius id tentantes nihil profecerint, dum in quem culpam conferunt, ſe offendiſſe exiſtimantes, muliebri ſtola amicti ſuam ignaviam accuſant, & cum mulieribus victitantes earum opera tractant; qua affectione tentantur opulentiſſimi quique Scythæ, minimè verò infimi, ſed generoſiſſimi, & qui ad maximas opes per equitationem aſcenderunt; pauperes autem, qui non equitant, minus &c.*

Quo loco perperam intellecto Medicis haud ignobilibus impoſuit autoritas Hippocr., ut inter cauſas impotentiæ retulerint abſolutè equitationem aſſiduam. Ariſt. enim, 4. *probl.* 12. ratione ſuffultus ſatis valida ſtatuit, equitantes libidinoſos evadere, quod jugi partium irritatione ex attritu ſpiritus excitentur. Nec aliud ſuppeditare experientia videtur; tantum enim abeſt, ut impotentes evadant, qui equitando corpus fatigant, ut cæteris nonnunquam ſalaciores videantur.

Veruntamen hoc ἐναντιοφανὲς doctiſſimus Mercur. *in p. l. 3. c. ult. fol.* 400. diſſolvit: *dicendum*, inquiens, *videtur, equitationem homines potiùs luxurioſos reddere, quàm impotentes per ſe, quia, quod refert Hippocr. non refert eſſentialiter ab equitatione factum, ſed refert, quoniam propter equitationem crura ipſis malè habe-*

*habebant, & ut mederentur his, urebant venas poſt aures, hinc fiebant impotentes, non principaliter propter equitationem.* Id quod aliàs clariùs ipſe etiam Hipp. profeſſus eſt, dum *l.d. Loc. in hom.p. m.*80. *aliæ duæ venæ,* inquit, *ex vertice juxta aures per anteriorem cervicis partem utrinque in cavam appellatam venam feruntur, eæ infœcundum reddunt hominem, cum fuerint ſectæ, &c.* vid. jam laudatus Mercur. *var. lect. l. 3. c. 7. m.* 61.

Qua verò ratione venarum poſt aures ſectio uſtiove vim γόνιμον, Veneremq; extinguat in Scythis, difficulter explicari poteſt, niſi cum Plat. qui in Tim. ſemen à cerebro & ſpinali medulla ortum ducere, ſcriptum reliquit; Avicenn. *l.3.fen.20.tr.*1. *c.* 3 *p.m.*901. & aliis pluribus credamus, ſemen etiam à cerebro & ſpinali medulla ſui quandam partem deſcendere; quin Hippocr. ipſe *l. d. genitur. p. m.* 11. *atqui juxta aures*, inquit, *ſectionem experti ſunt, ii venerem quidem exercent, verum ſemen paucum, imbecillum & infœcundum emittunt; ſiquidem maxima ſeminis pars è capite ſecundum aures in ſpinalem medullam fertur, ipſe verò tranſitus ſectione ad cicatricem perducta ſolidior evadit; & l. d. oſſ. p.m.* 58. *venæ quædam, ait, è capite juxta aures per cervicem, jugulares appellatæ, parte interiore ſecundum ſpinam ad lumbos utraque ex parte in teſtes ac femora tendunt.* Cujus ſententiæ præcipuas rationes collegit, & ad eaſdem reſpondere ſuſtinuit Franc. Valles. *Controv. Med. & phil. l. 2. c.7. fol.*67. confer Nancel. *anal.microcoſm.ad macrocoſm l.*10.*f.*1572.

Sed, Latinos quoſdam idem ſenſiſſe, indè manifeſtum eſt, quod apud Romanos, qui nimia Venere utebantur, calveſcere dicerentur; quod Marc. Don. *med. hiſt. mir. c.*18.*p.*147. contendit, nec malè; nam cùm hominibus natura cerebrum dederit maximum ac humidiſſimum, neceſſe eſt, tantò magis ipſum ſucco deſtitui, quantò libidinoſius ſemen prodigitur. calore autem & humiditate deficientibus, materia pariter atque efficiens pilorum cauſa ceſſat. unde ex ſenio & Venere immodica pili defluunt hominibus, & plerumque aliorum opprobriis obnoxii ſunt ætate nondum conſumpta Calvaſtri; ſuſpicio enim eſt, ex abuſu Veneris calvos evaſiſſe; hinc quorundam proverbium; *Calvitium non eſt vitium, niſi Venus fecerit initium.* Confer Ariſt. l. 5. *d. G. A.c.3.ſub.f.*

Sed

Sed & iſtud huc facit, quod latronibus quondam aures in pœnam facinoris ideò amputabant, *ne talium hominum impoſterum daretur generatio*; additâ ratione, *quod* auctoritate Principis Medicorum cæſis cartilaginibus auris reddantur impotentes. quæ ſententia eſt Uſyli *in t. ff. d. act. num. 22. & 23.* quem allegat Calder. de Her. *l. c. p.* 40.

Utcunque tamen res comparata ſit, cerebro cum teſtibus ſingularem intercedere neceſſitudinem, inductione conſtat. Præterquam enim, quod ex probatiſſimis ſcriptoribus exempla in promptu ſint eorum, qui ex capitis contuſione & vulneribus illicò impotentes evaſere, vid. Marc. Don. *l. c.* Idem pariter confirmant, quæ ab Hipp. & Gal. *l. 6. aph.* 28. *&* 30. ſcripta leguntur, ſpadones ſcil. & pueros non calveſcere. quod & Ariſt. agnoſcit, *l. 2. d. G. A. cap. 7. ſub f. habet*, inquiens, *ſemen aliquid cerebro affine; quia ſedes oculorum maximè omnium capitis locorum ſeminalis eſt, quod ſola ipſa per coitum venereũ manifeſtè immutetur, & Veneris immodico uſu oculi apertè langueſcant & ſubſideant.* Quod ſi eſt, & venis poſt aures inciſis larga ſequatur hæmorrhagia; quæ cerebro frigidam & fortè ſiccam etiam afferat intemperiem, non mirabimur, Scythas ignavos Veneris cultores parum fœcundos eſſe. Nec improbare hanc rationem videtur Caſp. à Reies; nam *in Elyſ. jucund. q. camp. q. 56. pag.* 418. *& ſeq.* poſtquam inter alios, qui ex nimia ſanguinis emiſſione refrigerationem totius corporis, hinc ſterilitatem induci aſſerunt, etiam Petr. Garciam, quem vocat *acutiſſimum*, annotaſſet, *hæc igitur opinio*, (ſolam ſcil. cerebri refrigerationem eſſe infœcunditatis cauſam) ſubjungit, *omnium optima nobis etiam videtur.*

# Caput XI.

Ἀντιαφροδισιακὰ remedia partim occulta virtute, partim manifeſta agunt. & vel refrigerant, vel impediunt generationem humoris ſeminalis; vel genitum abſumunt. Singulorum claſſes & ætiologiæ. Cur plumbum Chymicis Saturnus audiat.

AD rerum non naturalium claſſem medicamenta ſpectant, ἀνταφροδισιακὰ dicta, quorum aliqua

aperta

aperta malitia generationi dicatis partibus torporem incutiunt, quædam verò quaſi clandeſtinis inſidiis modoque imperſcrutabili iisdem officiunt. Reperias alia, quæ directè & per ſe id exſequuntur; alia verò, quæ velut aliud agendo, & per accidens. prioris generis ſunt, quæ calorem his partibus ſuffurantur, ſeu intra corpus aſſumpta fuerint, ſeu eidem externo tantùm uſu adhibita. Poſterioris autem ordinis ſunt, quæ aut ſeminalis humoris generationem impediunt, aut genitum exſiccant. Ea omnia ad certas claſſes redigere conabimur.

## I. Medicamenta

Seminis generationem impedientia.

Radd. *Nymph. Satyr. teſticulus flaccidus.*
Fol. *Acetoſ. cicut. Lactuc. plantag. portulac. umbil. ven.*
Fl. *Nymph. papav.*
Sem. *Cucum. cucurb. melon. citrull. lactuc. nymph. portulac. atripl. bet.*
Fruct. *Cucum. cucurb. melon. pepon. mora.*
Miner. *Plumbum*, & quæ exinde parantur.
Marin. *Corallia.*
Succi acid. *Citri, limon. rib. acet.*

Ex nimio ſpir. ⴲli uſu teſticulos cujusdam, qui ejus ſingulis diebus quatuor ſaltim guttulas appetitus promovendi cauſa ſumpſerat, ita fuiſſe imminutos, ut ferè piſorum magnitudinem æquarint, D. Langium, Profeſſ. Lipſ. obſervaſſe annotat Frommann. *d. faſcin. l. 3. p. 6. c. 48. p. 857.*

Hæc partim ſanguinem incraſſando ineptum reddunt, ut per anguſtiſſimos vaſorum pampiniformium flexus ac mæandros ad partes genitales proveniat, partim adſtringendo easdem vias tantùm non penitus claudunt. Ex his verò omnibus *Nymphæam* Vict. Trincav. *d. rat. cur. p. h. c. aff. l. 11. c. 29. fol. 347.* ubi hoc argumentum prolixiùs perſequitur, imprimis obeſſe Veneri ait, *quod ſine calore deſiccet.*

## II. Medicamenta

Semen abſumentia, ac anguſtiſſimos partium genitalium mæandros exſiccantia.

Fol. *Salv. vit. rut.* & præcipuè *menth.* de qua Ariſt. *probl. l. 2.* *ſect.*

*ſect.* 10. *p.m.* 951. narrat; in proverbium abiiſſe: *mentham belli tempore neque edito, neque ſerito*: addita ratione, *quia refrigerat corpora, ut corruptione conſtat ſeminis genitalis, id autem adverſum eſt fortitudini.* Primeros. *de morb. mul. l.*4.*cap.*1.*circa fin.* hunc Ariſt. locum & rationem inter veterum errores refert; *Verum certum eſt*, inquit, *mentham potius calefacere, undè ſecundum alios Venerem potiùs auget; hinc tempore belli edenda non eſt, quia ad Venerem incitat, propter quam milites debilitantur.* Hippocr. *l.*2. *de Diæt. p. m.*27. hæc annotat; *mentha ſæpè comeſta genitale ſemen ita colliquefacit, ut effluat, & arrigere prohibet, corpusque imbecillum reddit.* quin & Aet. *tetrab.* 4. *ſect.*4. *cap.*26. *p. m.* 860. *à ruta & mentha penitus abſtinendum*, inquit; *mentha enim ſemen quidem multum, ſed debile ac languidum gignit; ruta verò corrumpit.* Mercat. vult, *viridem* Venerem excitare, *ſiccam* verò ſemen abſumere. Roder. à Caſtr. hunc effectum proprietati ſubſtantiæ tribuit. vid. Primeros. *l. c.* Eandem tamen Avicenn. & Nic. Flor. commendant, ſed non niſi valdè frigidis. Confer. Mercur. *var. lect. l.* 4. *c.*8. *p.m.*82. maximè vero Caſp. à Reies. *Elyſ. jucund. q. camp. q.* 44. *fol.* 309. *& ſeqq.* ubi ex profeſſo.

Huc & folia *Thee* referimus, autoritate nixi Sim. Paul. qui *Quadrip. Botan. c.*3. verb. *tabacum p.* 494. *non ego*, inquit, *dico, Europæorum conjugum cervicibus quidquam mali eſſe metuendum, ſed quorundam illorum frontibus, ne quid monſtri alant; præſertim verò illorum, quos ICti frigidos appellant, qui præ cæteris cavebunt ſedulò, ne Thee abutantur, aptum natum quod eſt, tractu temporis ſenſim, aut clam ita deturpare illorum ceu juvencorum frontes turbinato mucrone; mox cornubus ipſis prorumpentibus patulis, mox apertè inter cornutos, magno ſuo probro nomina ſua profitentium, ut occulere diutiùs vitium hoc ipſis non liceat.* Qui & potionis Coffi jugem uſum eodem nomine improbat. *ibid.*

Sem. *Vitic. aneth. cannab. carv. cor. cumin. rut.*

*Thus, camphora*, de qua deinceps.

*Caſtoreum.*

Hæc pleraque ſpiritus γονίμȣ materiam potenti calore reſolvunt, atque ὀργασμὸν Venereum impediunt. quanquam enim eorum, quæ libidinem aliàs accendunt, præcipua pars inſigni

ſigni gaudeat calore, ſpiritum tamen non adeò ſuppeditant tenuem, ut erigendo nequeat ſufficere peni. huc ſpectant,

# III. Diuretica

vehemementiora, cujusmodi ſunt in præcedenti claſſe ſecunda enumeratorum pleraque. quibus accenſemus *Sales*, ut Plinius dixit, *lixivios*, ac præcipuè *nitrum fixum*. Ex ſententia enim Rhaſis, & Ariſt. urina ſuperflua renes extenuat, eorundemque pinguedinem abſumit. vid. Florent. *vol.2.f.24.*

Externa pleraqua aut narcoſi quadam Venerem hebetant, cujus indolis ſunt; *hyoſcyam. mandrag.* &, quæ indè proſtant, *Olea & unguenta*: *aut* vehementer adſtringendo, & calorem ſpirituoſum avidiſſimè arripiendo, has ſuo defraudant genio partes. è quo genere præcipuè familiam ducit *plumbum*, & quæcunque fermè exinde parantur, quorum attactu genitalia maris velut fulminantur, ut torpeſcant.

Hinc fortaſſis athletæ quondam, ut nocturnas pollutiones præcaverent, & libidinis impetus frangerent, non frigidâ tantùm corpus lavabant, ſed & plumbeas laminas renum & lumbrorum regioni admovebant. quod ex veterum monumentis eleganter confirmat, Mercur *d. art. gymn. l.1.c.15.p.m. 75.* locus illuſtris extat apud Plin. *l.34.c.18.*

Neque Chymici ineleganti allegoria fabulam de Saturno huc traxerunt, qui ſceleratiſſimus omnium non tantùm inſecutus eſt illum, à quo hujus lucis uſuram acceperat, ſed & captivo virilia membra amputaverat, ut teſtantur Ovid.

*—— —— Saturnus ut illas*
*Subſecuit partes; unde creatus erat.*

Et Apollonius *l. 4. Argonaut.*

—— —— ἀπὸ πατρὸς
μήδεα νηλεῶς ἔταμε χρόνος;

à patre virilia crudeliter abſcidit Saturnus. vid. Nat. Com. *mytholog. l.2. cap 2.p.m. 129.* Præter verò jam dicta & alia occurrunt, Veneri inimica, quorum demonſtrare ἐνέργειαν, ſi tamen vera ſunt, quæ vulgò de iisdem prædicantur, aut arduum valdè erit, aut impoſſibile. cujuſmodi ſunt: *ſpuma circa equorum pudenda collecta*; *vermiculi in radicibus apii inventi*; *Sapphyr. Smaragd.*

*ragd. topas.* quæ gemmæ idcirco à pleriſq;, qui de lapidibus egerunt, inter præſidia caſtitatis referuntur. Confer Boët. de Boodt. *hiſt. gemm. & lapp.*

# Caput XII.

Camphoræ hiſtoria. Non frigidam, ut multi opinantur, ſed calidiſſimam eſſe, teſtimoniis & rationibus confirmatur. Cur Venerem nunc accendat, nunc reſtinguat? Nitrum ἀντιαφροδισιακόν. rariorum quorundam caſuum ætiologiæ.

DE Camphoræ autem natura ac viribus cum Eruditi valdè inter ſe diſcrepent, operæ pretiũ nos facturos ſperavimus, ſi, an Camphora, quod vulgò creditur, impotentes reddat, & quâ virtute id præſtet? breviter disquiramus. Camphoram verò, ſive Caphuram, eam intelligimus, quæ ex China affertur; Camphora enim de Burneo, teſte Garcia, centuplo pretioſior, nunquam ad noſtras regiones penetravit. Eſt illa reſina arboris cujusdam exoticæ, caphur dictæ, teſtibus Bertio in *tabb. Geograph.* Acoſtæo, Ruell. Linſchott. Nicol. Lemery, *dans les cours de Chymie, pag.* 542. candicans & pellucida, levis & friabilis, odoris ſingularis fragrantiſſimi, ignis æquè capax & rapax, aëri expoſita in auram vaneſcens. Hanc frigidam multi crediderunt Avicenn. *l.* 2. *tr.* 2. *c.* 133. *p.m.* 291. Serapio, Rhaſes, Chriſtoph. à Coſt. Andr. Lacuna in Dioſcorid. Fernel. *therapeut. univerſ. l.* 5. *c.* 18. Wecker. Heurn. *l.* 2. *meth. med.* Quercet. Fuchs. & ſatis ſtupidè, ſubtiliſſimus cæteroquin, Scaliger, *ex.* 104. *d.* 8.

vide Epiſt. (

Calidiſſimam contra feliciori ſucceſſu majorique cum applauſu ſtatuerunt alii, nec pauciores numero, nec minores autoritate; Averrh. Matthiol. *ep.* 137. & *l.* 1. *in Dioſcorid. c.* 71. Minderer. *d. peſt. cap.* 15. Sennert. *paralip. ad Inſtit.* 14. *p.m.* 75. & *l.* 1. *m. p. p.* 1. *c.* 1. *q.* 2. *p. m.* 15. Angel. Sal. *hydrelæolog. ſect.* 2. *cap.* 13. Conrad. Khunrath. *medull. deſtill.* Joh. Bapt. Theodos. *ep. med.* 49. Greg. Horſt. *vol.* 2. *conſ. & ep. med. ſect.* 9. *p. m.* 491. *ſeqq.* Libav. *p.* 1. *apocal. c.* 16. Crato *tr. d. peſt.* Manard. *Comment. in troch. d. camph.*

*camph.* In utramque partem fluctuant Renodæus, *d. mat. med. l.* 1. *cap.* 2. Cæſalpin. Zacut. *l.* 3. *d. med. Princ. hiſt.* qui ſpiritu quidem calido, corpore verò conſtare frigido contendunt. Plerorumque loca & verba prolixe citat Mœbius *anat. camph. c.* 5. 6. 7. *p. m.* 15. *& ſeqq.*

Nos miſſis aliorum argumentis, quibus nullum tam Achilleum ineſt robur, quin ex fundamentis, quibus calidiſſimam eſſe ſtatuitur, obſervata inſuper, quam deinceps dabimus, diſtinctione, diſſolvi facilè poſſint. Camphoram frigidam ſtatuentibus audacter contradicimus; & quid dubitemus? Reſina eſt, ſeu ſulphur vegetabile, odoris fragrantiſſimi, quem non prius exuet, quàm in partes tenuiſſimas evanuerit, quavis aliâ φλογιςοτέρα, flammam naphthæ inſtar promptiſſimè concipit, nec aquis merſa extinguitur, ſaporem habet ſubamarum, eſt λεπτομερεςάτη, citò diſſipabilis, ac intima corporis noſtri momento pervadens, corruptioni nec ipſa eſt obnoxia, nec, quæ ſunt, facilè corrumpi ſinit, intimè ſolvitur abſorbeturque à cujuscunque generis oleis. quid iſta aliud, quàm apertiſſima uberrimi caloris argumenta? refrigerat tamen, inquis, atque id experientia certum, cui contradicere, non eſt niſi τῦ ἐπιπολάζοντος: cephalalgiam à cauſa calida demulcet, partium φλέγμονας reſtinguit, viſcerum ardores lenit, eriſypelas curat, quæ omnia magna fiducia Horſtio opponit Horniceus, Medicus Francofurtenſis; aſt πρώτως & per ſe id nunquam effecerit camphora, ſed velut aliud agendo: Dum enim partium tenuitate fuliginibus viam recludit, his demum pulſis in exilium, refrigerat.

Cum igitur camphora aut intra corpus ſumta fuerit, aut, quod hîc Argentinæ frequentiſſimum, in febribus tertianis inter ſcapulas non ſine ſucceſſu geſtatur, partes ſui minimas fuliginum atomis miſcet, easdemque ſecum educit. Eodem nomine & Galli in febribus intermittentibus camphoram collo appenſam commendant. Teſte enim Nicolas Lemery *dans ſon cours de Chymie*, *c.* 18. *p.* 543. *Le camphre eſt bon pour les fievres intermittentes: on le pend au col, & cela parce qu'en s'evaporant il entre inſenſiblement par les pores, & il excite la rarefaction, & la tranſpiration de l'humeur, qui cauſoit ce mal.* Neque tamen νάρκωσιν inducit, ſed potius vigilias. Avicenn. *l.* 2. *tr.* 2. *c.* 133. *p. m.* 291. Sennert.

*m. p.*

*m.p.l.*1.*c.*1. Nulla enim ex camphora tàm craſſa, quàm ex opio, prodit ἀναθυμίασις, ſed multò tenuior, & ſpiritui vitali calorique noſtro concinnior.

His expeditis faciliùs conſtabit, utrum camphora impotentes reddat, nec ne? & quo pacto id eveniat? Sunt quidem hîc opinionum divortia, ajentibus aliis, aliis negantibus, quorum utrinque catalogum cum exhibeat, & rationes exponat Mœb. *anat.camph. c.*22.*p.* 90. *& ſeq.* B. L. brevitatis ſtudio eò remittimus. Cùm verò ab utraque parte experientia ſtet irrefragabilis, camphoram utrumque poſſe credimus, & reſtinguere Venerem, & ſalaces efficere; iſtud, ſi ſiccis detur, aut doſi nimia, qualem Rhaſes habet, etiam humidioribus; ſiccandi enim vi pollet maximâ, & benè inter alios monente Nicol. Lemery *l. c. mais il faut remarquer, que ces ſortes de remedes ſont toujours fort ſpiritueux*; cautè adhibenda: hoc verò, ſi humidioris temperamenti homines eadem modicè utantur.

Paripacto & *Nitrum fixum* rebus Venereis adverſum videtur, cujus naturam imitari camphoram Conrad. Khunrath. dixerat; quod & ipſum πνεῦμα φυσῶδες, quo genitalia eriguntur, abſorbere, veroſimile eſt; quo pacto & maximos aliàs febrium ardores, lienisque mephitim ſuam expirantis motus reprimit. quapropter cùm importuniſſimum atque inſatiabili libidine æſtuautem ſcortatorem, qui metuens, ne, quod DEUS hujus farinæ hominibus minatur, ſupplicium ſibi aliquando eveniat, caſtrari, quàm turpiſſima ſevitute ampliùs premi maluit, imò & efflagitavit, nullo alio remedio curare poſſet Guldenklée *l.*3.*caſ.* 52. *p.*197. ipſe in animum ſibi revocans, quod quondam à Prævotio audiverat; nephriticum quendam diuturno nitri præparati uſu à renum calculo penitus liberatum, ſed impotentem evaſiſſe, quotidiè ſurgenti & cubitum ituro diebus 30. continuis nitrum præparatum in aq. nymph. ſolutum porrexit; Qua ratione ipſum tàm ignavum reddidit, ut vix demulcendæ uxori amplius ſufficeret. Ejusdem vim refrigerandi nimiam etiam aliàs expertus eſt idem *l.*7.*c.*9.*pag.*315. ſi qui ergò conſulere partium genitalium incolumitati cupiunt, nitrum aut fugiant, aut eodem cautè utantur.

Enumeratis jam ſingulis cauſarum impotentiæ generibus, for-

fortaſſis haud præter rem fuerit, admirandorum exemplorum, quæ ex Marc. Don. jam ſuperiùs *c.* 7. recitavimus, ætiologiam ſi indagaverimus; & quidem quod juvenes attinet, qui tantùm in ſomno ſemen emittere potuerunt, nequaquam in coitu, quibus haud immeritò objicies illud Virgilii, *l.* 3. *Georg.*

*magnus ſine viribus ignis*
*Incaſſum furit.*

potiſſimùm phantaſiæ cauſa factum veroſimile eſt; hanc enim in dormientibus maximè occupatam, multoque efficaciorem, quàm in vigilantibus eſſe, experientia certiſſimum eſt, præcipuè in his, quæ Veneris negotia concernunt. Quodſi enim nemo facilè vigilans tantopere deperire vel ipſam poteſt Helenam, ut ſemen effundat, quod tamen laſciva ſomniantibus facilè evenire nocturnæ pollutiones teſtantur, nil quicquam obſtare putamus, quò minùs, in frigidis præſertim, phantaſia noctu id poſſit, quod vigilantibus impoſſibile. Addimus & hoc, quòd coëunti citiùs abſumptis ſpiritibus flaccescant genitalia, quàm ſemen frigidius ſequitur: cùm contrà corpore quieſcente iisdem tardius deſtituantur, adeoque non priùs vela contrahant, quam ſeminalis humor conceptaculis ſuis emunctus fuerit.

Aſt, quod Juvenem concernit, qui, quoties coibat, non ſemen, ſed flatus, & quidem per anum, emittebat, meritò ad intemperiem calidam ſiccamque refert ipſe etiam Aetius, hoc enim eventus docuit. Suſpicatus quippe haud infeliciter, nimiæ ſiccitati id impotentiæ genus tribuendum, remedia præſcripſit humectantia & abundè nutrientia, iisdemque ægrum percuravit. Flatus tamen, qui ex inteſtino recto eruperunt, fruſtrà à genitalibus profectos dixeris, niſi quid monſtro ſimile natura in illis partibus commiſerit; ſed ex communi totius corporis intemperie ſicca, quæ flatuum ſæpè ferax, quod vel ſola cholera ſicca, orta non ex debili, ſed vehementi calore, demonſtrat.

# *Caput XIII.*

Cacodæmonis adverſus homines odium. quid ligare? ligandi ritus & vetuſtiſſimus, & quamplurimis gentibus familiaris. quomodo impotentia ex maleficio à naturali diſcernenda? exemplum ſingulare. Non is ſolus pro ligato habendus,

qui

qui cum una nequit, benè tamen cum aliis, rem habere. In quo ligationis ἐνέργεια coſiſtat? determinatu difficillimum. quid maleſici præſtent?

HÆ verò cauſæ corporum naturalium circulo comprehenduntur. Supereſt alia, quæ iſtos limites hominumque captum excedit. Nimirum tanto flagrat vaferrimus ille ſerpens generis noſtri odio & livore, ut aut jam genitorum animas in æternum præcipitare exitium, aut impedire, quò minus in iſtorum locum ſuccedant alii, omni ſtudio allaboret. Ergò validiſſimi femoris novellos maritos veneficio ſic privat genitalium uſu, ut fuerint, qui in fœminas ſe converſos putarint, *funerata nimirum ea parte corporis*, (verba ſunt Eucolpii ap. Petron.) *quæ frigidior rigente bruma confugit in viſcera mille operta rugis*. vid. Lang. *l. 1. ep. 70. pag. 376. ſeqq.* Speidel. *Specul. Iur. pol. hiſt. p. 897.*

Vocant iſtud veneficii genus vulgò *Ligationem*. Carpzov. *l. 2. Jprud. conſiſt. t. 11. d. 202. ligaturam* appellat. *Ligatio ligulæ* audit Godelmann. *d. mag. venef. & lam. cognoſc. & pun. l. 1. c. 6. p. 54.* Speid. *Spec. Iur. pol. hiſt. f. 895. & ſeqq. maleficium ligaminis & matrimonii*. Beſold. *theſ. pr. l. N. p. 681.*

Qui verò ſuam Cacodæmoni operam mancipant, ligare dicuntur, & Carpzov. *l. c. nodum nectere*, phraſi fortaſſis ex illa Virg. *eclog. 8. deſumpta*;

*Necte tribus nodis ternos Amarylli colores.*
*Necte Amarylli modò, & Veneris dic vincula necto.*

Lingua vernacula, Neſtel-Niderkleyd-Nachtmantel knüpffen / Mannſchafft nehmen / Galli *lier l'eſguillette dicunt.*

Denique, qui hoc incantamenti genere impotentes redduntur, *ligati & maleficiati* appellantur.

Alio autem ſenſu Saxo Grammaticus refert, à Dæmone factum fuiſſe in Dania, ut viri more canum poſt coitum ligati eſſent, quod à Zibetho balano inuncto alii cuipiam contigiſſe narrat Borell. *cent. 2. obſ. 31.*

Ratio autem nominis ex ritu petenda, plerumque enim, (nam præter hunc modum 10. alios recenſet Frommann. *d. faſcin. l. 3. p. 6. c. 18.* plusquam 50. dari teſtatur Bod. *Dæmon. c. 1. p. 220.*)

*p.*220.) noviter nuptorum ligulas, quibus fortè accingere caligas aliàs ſoliti ſunt, interea, dum Sacerdos, iisdem ſtipulata manu perpetuam fidem pollicentibus, ſacra peragit, malefici recitato peculiari carmine ex invidia ligant, eoque ipſo efficiunt, ut nequeat deinceps ſponſus mariti officio fungi, vid. Harsdörff. Groß-Schaw-Pl. *cent. h.*59. à noſtro inſtituto alienum videtur, quod Paul. Zacch. *l.*3.*tr.*1.*q.*5.*p.*138. teſtatur, & mulieres ligari, earundem coarctatis genitalibus.

Hunc ritum vetuſtiſſimum eſſe, & quamplurimis gentibus uſurpatũ, evidentibus conſtat teſtimoniis Herod. *l.*2. Amaſin Ægypti Regem, tradit, faſcino læſum non potuiſſe cum Uxore Laodice congredi, cum aliis tamen valuiſſe, donec carminibus ſolennibusque precibus ſolutus eſſet. Paul. Æmil. *in vit. Clotar. II.* refert, concubinas Theodorici Regis Galliæ eodem faſcino uſas eſſe adverſus uxorem Hermenbergam. Majol. *t.*3.*Colloq.* 3.*p.*226. plura dabit Anonymus *d. ſpectr. & apparit. Dæm. l.* 1.*p.* 250. Codronch. *d. veneſ.*

Hodienum verò, ſcelus iſtud in uſu eſſe apud diverſiſſimas gentes, indubium. De Turcis & Perſis, qui digitum ſolummodo erigunt ac deprimunt, ut idcircò, quicunq; ſponſalibus adſunt, digitis explicatis oſtendere teneantur, ſe nihil incommodi novellis conjugibus allaturos; vid. Eraſm. Franciſc. Luſt-Schaubien/ 3. Verſambl. *pag.* 534. In Galliâ à pueris & puellis veneficium hoc impunè & palàm exercetur; Nam teſte Boiſard. *d. divin. & mag. præſt. f.*44. horum numerus ibi eſt frequentiſſimus, non ſolum inter plebejos & perditæ vitæ homines, ſed etiam inter viros & matronas honèſtas, qui, tàm enormi facinore DEUM offendi nequaquam exiſtimantes, id impunè patrant & docent; ita quidem, ut execranda hæc incantatio ubique riſu & joco populari excipiatur.

Hinc, quod tradit Henning. Arniſ. *d.l. Connub c.6 ſ.*8.*n* 19. & ex ipſo Carpzov. *l.* 2. J*pr. conſ. t.*11.*d.*202. ſponſi plerumque, dum nocturnæ celebrantur miſſæ, copulantur, ut incantatorum maleficia declinent vid. Bodin. *Dæmon.* Beverovic. *theſ. morb.* In Italia, & cumprimis Romæ, idem uſurpari teſtis eſt Wier. *d. præſtig. Dæm. l.*3.*c.*15.

In Germania etiam, non obſt. Conſtit. Carol. §. 119. quo

ignis

ignis ejusmodi farinæ hominibus pœnæ loco dictatur, frequenter exerceri, affirmat Carpzov. *l. c.* Sprenger. *mall. malef. p.* 2. *q.* 1. *c.* 7. rariora quædam exempla proponit eorum, quibus præſtigioſa arte genitalia quidem fuere occultata, ſed placata, quam prius offenderant, venefica viciſſim reſtituta. vid. Barthol. *hiſt. anat. cent.* 3. *hiſt.* 71.

Quandoquidem verò ſymptomata faſcinatorum à frigidorum accidentibus ſæpè parum diſcrepant, antequam ad alia progrediamur, ſigna præmittenda, quibus diſcerni impotentia magico inducta ſcelere à naturali poſſit. Verùm Diaboli, quantum humano ingenio ac pietati fas eſt, hîc artes tractamus, quas callidiſſimus impoſtor tanta verſutia occultat, ut ſæpè & ſapientiſſimis glaucoma objiciat, ut adeóque, *incantationes Medicæ artis limites excedere*, veriſſimè dixerit Vid. Vid. *d. cur. membr. l.* 11. *c.* 11. *f.* 680. Hæc cauſa, cur κατ' ἄρσιν potiùs, quàm κατὰ θέσιν ea tradi oporteat, ut exindè priùs, quæ non ſit naturalis, cognoſcatur, quàm quæ diabolica. quæ certa quidem diſcernendi methodus & minus intricata, ſed admodum profectò imperfecta, cum τὸ ὅτι potiùs, quàm τὸ διότι monſtret.

Quod ſi ergò nihil appareat eorum, quæ compertis viribus, de quibus hactenus, enervant effœminantque viros, ſuſpicari licebit, pejorem ſubeſſe cauſam, quæ modo imperſcrutabili genitalium uſum ſufflaminet. qua in re inductione opus eſt, quæ remotis prius cauſis naturalibus ſingulis demum impuriſſimi ſpiritus malitiam deprehendat. Quæ verò ſine ejusmodi inductione maleficium produnt, & pauca ſunt, & plerumque incerta.

Malè ominari fas eſt, ſi derepentè obtorpuerint genitalia, ſi retracta fuerint, ut in fœminas ſe converſos putent ægri, vid. Schott. *phyſ. cur. l.* 1. *c.* 31. *pag. m.* 107. ſi æger offenderit veneficam, aut aliam, quam priùs amaverat, deſeruerit, ſi remediorum aphrodiſiacorum uſus omnis fuerit irritus, ſi inſolitum quid omniumque captum ſuperans concurrat. Exemplum dabimus, quod inſtar omnium eſto, rariſſimi caſus; Enarrat ex Vincentio Belvac. 26. *hiſt.* Divus Anton. *p.* 1. *ſumm. hiſt. t.* 16. *c.* 7. §. 4.

*Romæ temporibus Henrici III. Imperat. fuiſſe juvenem Nobilem, qui recens uxorem duxerat, & ſodales nuptiali convivio exceperat; exivere in campum luſuri pila: ſponſus ludi dux pilam expoſcit, &*

*ne excideret annulus ſponſalitius, inſerit eum digito ſtatuæ Veneris æneæ, quæ in proximo erat, omnes enim unum petebant: ſic citò defatigatus is à ludo receſſit, & ad ſtatuam rediens annulum recepturus, vidit digitum ſtatuæ ad volam uſque manus recurvatum, & quamvis conatus annulum recuperare, nec digitum inflectere, nec annulum valuit extrahere; Rediit tacitus ad ſodales, & nocte intempeſta cum famulo ad ſtatuam revertitur, & extenſum, ut initio, digitum reperit, at verò ſine annulo, & piâ diſſimulatione ſeſe confert ad novam nuptam, cumque thorum genialem ingreſſus ſponſæ ſeſe jungere vellet, ſentit ſe impediri, & quoddam nebuloſum ac denſum inter ſuum conjugisque corpus volutari: id tactu tamen videre nequibat. Hoc obſtaculo amplexu uxoris prohibebatur, audiebat etiam vocem dicentem, mecum concumbe, quia hodiè me deſponſaſti; ego ſum Venus, cujus digito annulum inſeruiſti, nec reddam; territus ille tanto prodigio nihil referre auſus eſt, nec potuit: inſomnem duxit noctem, multa ſecum deliberans. Adeoque factum eſt per multum tempus, ut, quacunque hora cum ſponſa concumbere vellet, illud idem ſentiret & audiret. Erat ſanè aliàs valens, domi & militiæ aptus* vid. Calder. *trib. med. mag. p.2. p.49.* ubi hiſtoriæ etiam eventum non minus ſtupendum prolixiùs, quàm inſtituti noſtri ratio patitur, enarrat. idem eveniſſe fœminæ cuidam Nobili, aliquid inter ſe & maritum fuiſſe interpoſitum, quo minùs contactum hujus ſentire potuerit, aſſeveranti, teſtatur Boiſard. *d. divinat. & mag. præſtig. l. c.*

Quis hîc aliam, quam Dæmonem, caſus inſoliti & miraculo ſimilis cauſam agnoſcat? aut portentoſiſſimi eventus rationem ex natura demonſtrare audeat? Hoc unum non prætermittendū, quod pleriq;, qui in præſenti argumento ingenium exercuerunt, quorū multos allegat Zacch. *q. med. leg. l. 3. t. 1. q. 5. f. 135.* pro ſigno maleficii præcipuo agnoſcunt, licet valdè incertum ſit; *Ligatos nimirum facilè cum aliis, cum una nullatenus coire poſſe.* Addamus ejusdem ἐπίκρισιν; *Hæc differentia*, inquit, *non eſt ſempervera, nec generica, complectens omnes, qui ad coitum non ſunt apti ob maleficium; quia ex maleficiatis etiam nonnulli ſunt, & eſſe poſſunt quoad omnes mulieres maleficiati, ita ut ad nullam omninò arrigant; quin & alii ex iis ſunt, & eſſe poſſunt, qui ad nullas arrigant, præterquam ad unam.*

Verum enim verò in iis, quæ hactenus attigimus, minor eſt difficultas, quàm in cauſarum evolutione, quam ardui laboris eſſe, non poſſunt non fateri omnes. omnium enim hîc hebeſcunt ingenia. Autorem novimus omnes, cujus indolem ſtudiumque ad amuſſim ſacer deſcripſit codex. Hic DEI indultu omnem movet lapidem, homini ut noceat, præſertim verò matrimonii, cui acerbiſſimè invidet, ſcopum evertat. Sed quibus id peragat modis, ut proximas indicare admirandorum effectuum cauſas liceat, plusquam cimmeriis tenebris involutum. Nec refert, iſtas nocendi artes intimè noſſe, quas æquiſſimo animo vel ſanctiſſimi ſapientiſſimique mortalium ignoraverunt. Ejusmodi ligationum magicarum & conjurationum diabolicarum, quas Beſold. *theſ. pr. l.N.p.681.* Loſe verbottene Teuffels-beſchwehrungen/ vocat, prolixum recenſet catalogum.

Nos tribus in univerſum punctis, quæ tamen ſumma ſaltim capita ſunto, ad quæ exempla totidem modis diverſa referri queant, totum negocium comprehendi poſſe, putamus. Aut enim animum effaſcinat cacodæmon, dum ſimulacra phantaſiæ ſiſtit, è quibus affectus reſultant, qui ſpirituum in partes genitales affluxum vel ſuſpendunt, vel aliò ducunt; aut genitalium, & quæ eò ſpectant, partium temperamentum, magnitudinem, ſitum, figuram &c: pervertit; aut denique alterius corporis interventu maris fœminæque, licet utriusq; ſexus genitalia ſint inculpatæ ſanitatis, contactum impedit; ejusdemque aſſertionis veritas cum ex immediata partium oppoſitione demonſtrari poteſt, tum ex antea recitatis exemplis. Confer. in eund. fermè ſenſum diſſerentem Cald. d. Hered. *l.c. art.3.f.49.* & Speid. *Spec. Iur. pol. hiſt. p. 896. & ſeqq.*

Quid verò diaboli poſſint mancipia, dum nodos nectunt, digitum erigunt, carmen ferale occinunt, &, neſcio, quas, alias patrant nugas, facilius explicari poſſe videtur.

Nil juris in animum poſſidere veneficas, ratum putamus; Neque ecſtaſin credimus talem, qua anima veneficæ deſerto ſuo corpore aliud ſubeat, eidemque phantaſmata exotica ſigno ſenſibili ſuppeditet, qualem alii ſomniant.

Licet fortè credamus facilè, diabolum lamias nonnunquam σωματικῶς ad conventicula ſua transportare; adducti rationibus,

 ni

ni fallimur, ſatis ſolidis; nec autoritatibus virorum maximorum deſtituti. præ cæteris vid. Waldſchmids Vierdte Hexen-oder Geſpenſt-Predigt/ *p. 73. & ſeqq.* & Bodin. *d. magor. Dæmon. l. 2, c. 4, pag. 156. & ſeqq.* ubi exempla hujus rei manifeſta enarrat quamplurima.

Easdem verò diaboli ſuggeſtu artes quasdam didiciſſe, cauſarum naturalium cacodæmoni accuratiſſimè perſpectarum adminiculo partes genitales faſcinandi, adſtipulantibus doctiſſimorum virorum ſuffragiis, veroſimillimum credimus.

Nihilominus etiamſi, quod frequentiſſimè fieri ſolet, nequicquam eorum fecerint, quæ ad effectum hunc naturaliter producendum requiruntur, iisdem imputari idem poterit; dum ſigno dato familiarem utplurimum admonent Dæmonem, ut, quod illæ non poſſunt, peragat ipſe. promptiſſimus enim eſt ad quævis officia cacodæmon, permittente DEO veneficis ac ſuperſtitioſis hominibus præſtanda. Neque enim viliori pretio devincire ſibi poterat animas hominum in æterni ſupplicii ſocietatem. ſic verò ſimplicioribus ac credulis argutiſſimè imponit, ut putent, ſibi deberi effectum, quem nunquam præſtiterunt. Nam ne nihil feciſſe videantur, quodvis patraſſe ſufficit, ut Dæmon velut ſigno dato admonitus auxilium ferat.

## *Caput XIV.*

Vtrumque Medico glorioſum, *&* auxilium, *&* præſagium. Vnde conſtet, an, & quanto tempore curari impotentia poſſit? Methodus medendi ſecundum indicationes. Salis lixivii uſus nimius impotentes reddit. quomodo V. S. conveniat? De flagrorum ad excitandam Venerem uſu. Remediorũ internorum & externorum materia. De exoticis quibusdam Venerem cientibus.

DUo imprimis ſunt, quæ Medico autoritatem famamque pariunt: auxilium & præſagium. iſtud artem, hoc ſapientiam oſtentat. Si eludat manum artificis morbus nimium rebellis, ſaltim ne captum ſuperet. Et hîc quidem DEUS ingenio humano limites poſuit, ultra quos ſapere velle, foret ſeraphicam affectare, aut divinam ſcientiam.

Præſagium autem cùm minori conſtet rerum apparatu, quàm auxi-

auxilium, meritò præcedit; auxilium verò illius, niſi malū fuerit arte ſuperius,fidē ſolvit. Antequā tamen ad auxilia convertamur, duo potiſſimum præſagienda, an ſpes ſuperſit convaleſcendi? & quantum temporis impendere curationi oporteat? Nam de eventu non eſt ut ſimus ſolliciti; malum enim tractamus admodum chronicum,quod λύσει finitur. Idem verò & ex primi puncti deciſione pendet. quod enim commoritur malum, λύσει ad mortem ſolvitur; ſecus, ubi ſpes reconvaleſcendi ſupereſt.

An autem curari malum poſſit, à priori, ut loquuntur, ſcitur,ſi de cauſis conſtiterit. Ubi temperamentum ab ineunte ætate frigidius fuerit,natura ſemper obluctante irritus erit conatus; præterea cum vires laboribus & ætate fuerint attritæ, malum deploratum.

Huc referimus, ſi quis diutiſſimè frigidis enutritus cibis fuerit, nec ἀφροδισιασμὸν ſenſerit unquam, aut medicamentorum refrigerantium ſiccantiumque uſus habitum induxerit.

Præter hos caſus nihilominus ſpes ardua utplurimum & difficilis. quotquot enim mala à frigida cauſa, itemque à principio ϛερητικῷ originem trahunt, pleraque difficilius expugnantur cæteris.

Quare & Jure Canonico, niſi quis intra triennium convaluerit, abſolutè demum impotens ſententia judicis definitiva declaratur, *c. 5. X. de F. & M.* Id quod etiam Jure Civ. noviſſimo, nam Codex biennium divortio præfigit, *l. 10. Cod. de Repud.* eſt conſtitutum *per Nov. 22. c. 6. Ratio videtur eſſe favor matrimonii, & ut intra hoc ſat longum temporis ſpatium vires ſuas experiatur maritus, vel etiam medicamentis debilitati ſuccurrat. Sæpè enim,qui uno anno debilis fuit, altero fit vegetus, & Plautino verbo probè peculiatus. ſed qui ne ſemel quidem intra triennium potuit, pro eo, tanquam deſperato,ad tibicines mitti debet.* Verba ſunt Ritterhuſ. *in exp. Nov. p. 4. c. 7. p. 222.*

Excipimus animi affectum & incantationem. Nam qui rugis ſenilibus ſulcatum ſordidumque faſtidiunt corpus, indeque errore quodam omnes alias averſantur, his ſæpè præſtanti corpore nympha lenociniis ejusdem cauſam animo brevi proſcribit. Et quis ignorat, veneficas, quem iratæ nexuerant, reconciliatas actutum ſolviſſe nodum, quem nullius vel ingenioſiſſimi

ſiſſimi Medici manus potuerat? Quin & hunc caſum à prædicta regula diſertè excipit Jus Can. & Gloſſ. *in cap.* 3. *X. de F. & M.* Panorm. *ibid. Infortunia enim, quæ DEUS mittit, patientia potius ſunt ſuperanda, quàm temerario, & ſacrilego auſu contra dictamen divinæ voluntatis excutienda.* C. *l. A. d. divort.* §. 12. quapropter in materia probandæ impotentiæ vel frigiditatis cautiſſimè agendum, & tantùm indubitatæ, inque Jure præſcriptæ probationes, non verò imperfectæ, mancæ & ſupervacaneæ admittuntur, cum agatur de animarum periculo. *CCa. & Abb. X. de F. & M.* Quod ſi verò, ante matrimonium, quis convincatur, ſciens fuiſſe impotens, D.D. communiter hoc caſu ita concludunt; ut in aliis contractibus non eſt conveniens obligatio, ſi quis ſe obliget ad id, quod præſtare non poteſt, *l.* 185. *ff. d. R. I.* ita in contractu matrimonii, quo conjuges ad debitum conjugale obligantur, non eſt conveniens contractus, ſi fiat ab aliquo, qui debita ſolvere nequit, Roder. à Caſtr. *d. univerſ. mul. morb. med.* hinc & Carpz. J*pr. conſ. l.* 2. *t.* 11. *d.* 200. *num.* 9. & 10. *non tàm ob ipſam mariti impotentiam, quàm ob dolum & fraudem ejus, conjugium annullandum exiſtimat. Cum enim ſcit defectum coëundi maritus, & tamen ſponſalia contrahendo talem ſe venditat, qui poſſit præſtare debitum conjugale, fieri non poteſt, ut non decipiat fraudulenter ſponſam, ex quo ipſo contractus nuptialis, ceu dolo initus, meritò corruit l.* 7. §. 1. *ff. d. d. m.* Nec eſt legitimus conſenſus, cum unus fallit, alter errat. *Nov.* 22. *c.* 10. *l.* 5. *C. d. L. L. l.* 29. *ff. d. R. I. l.* 30. *l.* 116. §. 2. *eod.*

Ut verò opere ipſo exequamur, quod methodus medendi expoſtulat, apta eſt remediis quærenda materia. Exordium ab iis ducimus, quæ frigidam conſtitutionem emendant; Hæc verò, ſi cum cacochymia, quam intemperiem cum materia vocant, conjuncta ſit, præparantibus calidis, quæ ex deinceps enumerandis, quibus & martialia accenſenda, depromi poſſunt, & phlegmagogis opus erit, quorum formulas, cùm paſſim proſtent infinitæ, non dabimus. Præferri aliis forte meretur *diakerm. ſol.* Tim. à Guldenkl. *ep. & conſ. p.* 457.

Diuretica proderunt, ſed parciùs exhibita, & ſpirituoſa potiùs, quàm fixa; ſal enim lixivius quia ὀργασμὸν ſanguinis placat, & effrœni libidine ἀπὸ τοῦ τῆς μίξεως τρόπου deflectentis æſtuantisque fuligines adeò abſorbet, ut eidem maximi febrium ardores

obediant,

obediant, vitandus. Nec alterius generis facilè admittenda ſudorifera. Cætera, quæ propiùs ad rem accedunt, diæta & pharmacia dabunt. à chirurgia, vix eſt, ut opem efflagites, ſperesve, niſi organicis partes laboraverint morbis, quorum hiſtoriam & ætiologiam nos non attacturos principio diximus.

Venæſectionem ipſa magnoperè diſſuadet Venus, tanquam ſibi adverſam, affectui verò ὁμόψηφον. Sanguine enim opus eſt, calore & ſpiritu his, qui viros ſe præſtare volunt; ea verò omnia Venæ ſectio, præſertim larga, prodigit. Eandem tamen Capivacc. *l.3. cap.34. pag.*148, ſed alia intentione probat, nimirum ſi impeditas viſcerum vias expedire velimus; aſt hoc ad cauſas remotas ſpectat.

Quam præter S. V. à chirurgo expectare poſſes manuum operam, feliciori forte ſucceſſu feret fœmina, iis dotibus inſtructa, quas graphicè & copiosè in uſum pictorum deſcripſit Franc. Jun. *d. pict. vet. l.3. c.8. ſub. fin. & t. c.9.* aut qualem uberrima vena in hunc ſcopum exhibuit Calvid. Let. *Callipæd. l.* 1. vid. & Petr. Lauremberg. *paſicompſe nova.*

Flagrorum propè obliti eſſemus, quorum ad concitandam Venerem vim eſſe eximiam, exempla quædam portentoſa paſſim ab autoribus annotata confirmant. Hominem novit Pic. Mirand. qui nunquam coivit, niſi flagellis priùs acriter cæſus; ſed pari paſſu ad dolorem libidinemque connitebatur. Poſcebat autem dorſum, ſed præſertim lumbos, flagellari. Rem narrat cit. aut. *l. 3. contr. aſtrolog. cap.*27. Exemplum verò aut ſimillimum huic, aut prorſus idem, Cœl. Rhodig. *A. L. l.* 11. *cap.*15. exhibet. quò ſpectat etiam, quod Ott. Brunfels. habet *in onomaſt. med. verb. coitus.* ſed de fide allegatorum exemplorum abundè conſtat; ſaltim verò, quæ flagris inſit vis ſtupenda ad coitum ſollicitandi eos, quibus aliàs ægrè durum rumpitur latus, diſpiciendum. Nec occultum hîc ſiderum influxum, nec, quod Veterum multi fecere, pro ſeminis officina renes agnoſcimus; ſed nihilominus, cauſam reddi poſſe ſatis liquidam, putamus.

Etiamſi verò in lumbis ſeminis officina nequaquam detur, ex his tamen ejusdem materiam in vaſa ſpermatica confluere, αὐτοψία conſtat. Quod ſi ergò ignavus in quibusdam ſanguis hîc hæſitet, ut difficulter æſtuans ſpontè ad teſtes ferri nequeat, in-

centivo

centivo opus eſt; quod ſi pharmacia non ſuppeditet, vix denegabit, ſeverior licet, chirurgia, quæ verberibus lumbos acriter quatiens calorem exſuſcitet, ipſosque & renes & ductus ſpermaticos compellat, ut larga copia ſanguinem verſus teſtes urgeant. Hoc cum flagra poſſint, perſpicuum putamus, libidinem horum uſu accendi poſſe.

Veruntamen non idcircò perſuaſi ſumus, plagis hoc totum negotium abſolvi poſſe, ſed tantùm earum rerum apparatum his procurari, ſine quibus nec ſemen coquere teſtes, nec erigi genitalia poterant. Quod ſi verò athletæ quondam Veneris ludibria dormientes declinaturi renib⁹ ſuppoſuerunt laminas plumbeas, veroſimillimum, quæ calorem in his partibus accendunt, utpote illis contraria, libidinem ciere. Quod ipſum etiam illi experiuntur, qui dormientes in dorſum decubunt, præſertim ſi molliſſimis infarcto plumis lecto utantur; horum enim præter modum incaleſcentes renes ſeminis materiam ſuppeditando non tantùm ſomnia libidinoſa, ſed & pollutiones nocturnas efficiunt.

Quod ſi ergò Medici quidam ad coërcendum amorem inſanum flagris juſſerunt percuti ægros, ut agnito errore reſipiſcant, nequaquam eo ſenſu accipiendi, quaſi verberari lumbos voluiſſent, ſed alias partes, quibus non intercedit tanta cum teſtibus neceſſitudo, quanta lumbis & renibus; Nec alienum, quod Griland. in *tr. d. ſortileg.* notat, quendam ab impotentia malis artibus illata per necromanticum liberatum, denuò cœpiſſe paulatim ſentire calorem quendam in renibus & lumbis, poſtea arrexiſſe, debitumque ſatis pingue uxori reddidiſſe. Speid. *Spec. Iur. pol. hiſt. pag.* 897. vid. ex profeſſo hanc quæſtionem explicantem Meibom. *d. flagror. in re Vener. uſu.*

## Remedia Simplicia

Interni uſus præcipua, quæ calore Venerem ſtimulant.

Radd. *allii, ari, aſparagi, capar. eryng. galang. pyretbr. nap. ſiſar. &c.*

Herb. *Naſturt. ſaturei. eryſim. charefol. eruc. biſtort.*

Fl. *crocus.*

Sem. *eruc. fraxin. nap. naſturt. paſtinac. urtic. 4. calid. maj. & min.*

*Cardamom. cinamom. coſt. dulc. piper omnis generis, zinziber.*

*Fungi, Truffes Gallorum.*

*Ambra.*

Ex

Ex animal. *cantharid.* quas internis quoq; miſcuerunt Platerus, & Franc. Pona, qui & hirudines præſcribit; *formica, ſcinc. mar. Zibeth. moſch.*

Qnin & idem poſſe cathartica cùm aliàs conſtat, tum maximè ex obſervatione Plateri, qui *l.* 1. *pag.* 263. aliquot exempla annotavit tentiginis ex uſu catharticorum. Nimis tamen calida perniciem afferre ex eodem palàm eſt, *l.c.p.* 257.

Præter hæc veteribus ac recentioribus quædam alia celebrantur, quæ aut noſtra ætate ignorantur, aut vix unquam in noſtris regionibus proſtant. Theoph. *l.d. fruct.* 4. herbam laudat ex India allatam, quæ contactu ſolo genitalibus tantam vim inſpirabat, ut, quoties vellent, coire poſſent. Hanc Cœl. Rhodig. *l.* 14. *A.L.c.* 8. *Satyrium Indum* vocari tradit, ſimilemque in Syria naſci ait, *Bucheidem* dictam. Scal. *d. Subt. ad Card. ex.* 175. ſcribit, *in Atlantis jugis occidentalibus eſſe radicem, cujus eſu ad Venerem augendam continuandamque mirificè incolæ corroberentur; quin, ſuper eam ſi quis urinam reddiderit, illicò turgere libidinibus; virginibus, quæ præſunt paſcuis, ſi inſederint, aut lotio eam conſperſerint, perindè rumpi naturæ membranam, atque ſi à viro fuiſſent vitiatæ.* idem de arbore quadam pyri facie refert, cui nomen *Agnacat*, admirandæ & ſtupendæ virtutis; plura vid. ap. Marc. Don. *l.c.p.* 145.

Si qui verò officinarum pyxides faſtidiunt, his abundè proſpici poteſt ex culinis, quæ præter cupedias & embammata aromatibus condita vario eduliorum medica virtute imbutorum apparatu menſas locupletant & ornãt; atq; adeò gulæ delitias effuſa libidine augent. Ab his igitur petant palato accommoda; *paſtin: ſat: apium. Seleri. rap. dulc. cinar. aſparag. cappar. cicer. fab. piſa, avellan. pin. piſtac. nuc. virid. gallor. lepor. teſt. cereb. paſſ.* quibus etiam accenſentur *gammar. cancr. oſtr. cochl.* & id genus alia. Verùm primas meritò tenent victus πολυτρόφος, calidus, & vinum generoſum. nam ſine Cerere & Baccho friget Venus.

Externi uſus præcipua ſunt, *Pyrethr. euphorb. coccocnid. cantharid.* Verùm ubi ſiccius ægri temperamentum obſtiterit, præferenda ſunt iſtis (ſi fortè externa exceperis) quæ paulò humidiora, aut minus ſicca & ſalaci ſpiritu, quem ſæpè & odor laſcivus prodit, turgeſcunt. quod & Galen. monet *l.* 7. *S.* ejus generis ſunt; Rad. *cynoſorch.* ſuccul. (plerumque enim altera pars gracilis eſt, &

huic uſui nequaquam idonea) *helen. fab. cicer.* ſemin. *nap. paſtinac. bacc. heder. cerebell. paſſ. virga cervi.*

Macarobius citante Capivacc. M. P. *l. 3. c. 34. f.* 148. pro ſecreto habuit *cœpas cum butyro frixas*, quas meritò Capivacc. damnat, quia odorem corporis virulentũ efficiunt, & fœtentem anhelitũ.

Ex his varia proſtant in Officinis; *Confect. anacard. Alkerm. diaſatyr.* nonnullibi *pacif. Mynſ. Species aromaticæ* pleræque, præcipuè verò *arom. roſ. Gabr. diambr. diatr. piper. diaxylal. &c.*

Hinc infinita formularum varietate, quæ cujusque genio & palato arrident, præſcribi poſſunt; interni pariter ac externi uſus.

Si quis tamen eas deſideret, ſylvam dabunt Avicenn. *l. 3. fen.* 20. *tr.* 1. *c.* 18. *f.* 906. Nic. Flor. *tr.* 2. *f.* 6. *c.* 6. *f.* 26. Alex. *pr. l.* 6. *c.* 1. *f.* 160. Bernh. Gordon. *Lil. med. part.* 7. *c.* 1. *p.* 597. Nic. Piſ. *d. morb. cogn. & cur. l.* 3. *c.* 47. *p. m.* 770. Matth. de Grad. *conſ.* 68. *fol.* 53. Bertruc. *coll. ſect.* 3. *tr.* 8. *c.* 1. *p.* 165. Joh. d. Concoreg. *p. nov. c.* 89. *f.* 93. Jul. Cæſ. Claud. *empyr. rat. t.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *f.* 11. Vid. Vid. *d. cur. membr. l.* 11. *c.* 11. *fol.* 689. Pernum. *d. cur. artic. l.* 7. *p.* 535. Severin. *therap. Neap. p.* 195. Sanchez. *d. morb. int. l.* 3. *c.* 31. Plater. *pr. t.* 1. *c.* 17. *p.* 648. *ſeqq.* River. *cent.* 4. *obſ.* 70. *p.* 40. Foreſt. *l.* 26. *obſ.* 18. *p. m.* 110. Zech. *l.* 1. *conſ.* 83. *p.* 408. Gremb. *ſarb. integr. & ruinoſ. l.* 2. *c.* 1 § 12. *p* 217. Helvic. Dieteric. *elog. plan. cœl. & terr. p.* 171. Grüling. *m. p. l.* 4. *p.* 3. *c.* 5. *p.* 390. Petr. Lottich. *l.* 4. *c.* 9. *obſ.* 1. *pag.* 423. Wittich. *conſ.* 59. *p.* 402. *ſeqq.* Elegantiſſima exhibet Franc. Pon. *Saturn. proluſ.* 5. *p.* 67. nec non *Medic. anim. pag.* 38.

# *Caput XV.*

Chocolata noſtro demum ſeculo in Germania uſurpari cœpit; ejus baſis Cacao, cujus hiſtoria, temperamentum & modus præparandi explicantur. potionis partes reliquæ, eiusdem formula, modus utendi, & cautiones circa ejusdem uſum obſervandæ. An, & quomodo libidinem excitet? de Amfiata Turcarum.

INnotuit hoc demum ſeculo, quando & nicotianæ fumi ſuctio increbuit, Germanis potio, eo nomine celeberrima, quod calcar in Campo Deæ Cypriæ ſtadium ſuum gnaviter decurſuris addat, *Chocolata*, vel & *Chocolate*, Turcis Perſisque dicta; *omni ſexui ætatique* teſte Caſp. Cald. *d. pot. var. ſ.* 4. *c.* 5. *in Hiſpania tàm accepta, ut nudari veſte ſe potiùs paterentur,*

*&*

*& gratâ orbari ſupellectile, quàm bis, aut plus in die Chocolatam non ſumere.*

Ejus præcipuum ingrediens eſt fructus *cacao*, vel, ut alii ſcribunt, *cacacius*, quem duplicis tantum generis conſtituit Anton. Colmener. de Ledesm. opuſc *d. chocol. Ind.* interprete M. A. Sever. *c.1. p.9.* ſed quatuor differentias commemorat Euſeb. Niremberg. *hiſt. nat. l.15. c.22.* ſubſtantia conſtare triplici ait D. Juan d. Carden. *d. propr. Chocol. pag.468*, ſicca una & terreſtri, quæ non tantùm ipſa non nutrit, ſed & coctioni obeſt; aërea altera & pingui; tertia denique amara & empyrevma redolente, quæ efficaciſſima omnium. præfertur fructus vetuſtior, in quo pinguis portio magis excocta, recenti. Franc. Ferd. Regni Mexicani Archiater *d. reb Mexic. l.1. ſ. d. arbor. c. 36.* & Paul. Zacch. *d. mal. hypoch. l.2. cap.14.* temperatum judicant, & quodammodo ad frigidum humidumque inclinare. Anton. Col. d. Led *l.c.* frigidum & ſiccum conſtituit in gradu intenſo; Verum Cald. d. Hered. veroſimilius calidum humidumque cenſet, quia, dum molendino validè conteritur, ejus fermè tota ſubſtantia in ſpumam vertitur, quæ ex aërea calida, & humida temperie reſultat, quod &, qui idcircò parum ſibi conſtare videtur, jam citatus Autor Ant. d. Led. fatetur, dum *cap.1. p.7.* ſcribit: *vix verſatili agitatur mola, illicò ex eo ſpumeſcens craſſusque emanat liquor; hinc facilè colligere poſſumus, quantas ille butyroſas habeat partes.* præterea & corpus valdè nutrit. quod tamen de cacao cultiori intellectum cupit Caſp. Cald. d. Her. non de ſylveſtri, cujusmodi eſt de Guajachil.

Præparatur uſtulando; Lento enim igne crematur, ut cortex tantùm exterior comburatur intacto nucleo, deinde in lapide excavato tamdiu teritur, donec ſuapte pinguedine, quam ſpontè exindè ſtillantem in India vidit Colm. d. Led. & humiditate diffluat, quæ reliquis potionis partibus modicè coctis fermentatione quadam intimè miſcetur.

Hactenus de baſi illius potionis; præter hanc vario ſcopo etiam alia adduntur, pleramque partem aromata, in tenuiſſimum redacta pollinem; quorum primum eſt *orejuelas*, fragranti odore ſpiritus reficiens, palatoque acceptiſſimum, calidum tertio, ſiccumque ordine ſecundo. Succedit *manoiitos de Olor*, calidum 1. & ſiccum gr. 2. Tertiò miſcetur ſpecies aromatis, Hiſp. dicta *Bainillas oloroſas*; cui Joh. d. Carden. à Cald. d. Her. allegatus tribuit

buit gradum caloris & ſiccitatis 1. Ferd. verò *l.1. ſ.1. t. d. Lasbainillas* 3. Quartum eſt *piper de Xamaica*, quod Ferd. pariter calidum ſiccumque 3. ordine pronunciat.

Quæ hactenus enumerata omnia teſtimoniis allegatorum ſcriptorum cerebrum confortant, concoctionem juvant, urinam & menſes ducunt, & ab infarctu hypochondria expediunt. Poſtremò etiam additur *Achiote*, quod aroma chocolatæ colorem, odorem & ſaporem conciliat ſuaviſſimum; inſuper verò & hactenus dicta calidiora, cum calore conſtet, & frigore æqua lance libratis, attemperat. Suum etiam ſymbolum addunt *nux moſch. & cinamom. aniſum. panem toſtum & maizi,* quod frumenti Mexicani genus eſſe Marggrav. tradit, lucri cauſa caupones addunt, plura enarrat Colm. d. Led. *l, c. p.15.* quæ rariùs admiſcentur.

Tandem his omnibus pari pondere ſaccharum accedit, quod & in quibusdam tum demum additur, cum potio paratur. Iſtorum verò omnium hæc eſt proportio: cacao uſtulando præparati capiunt ℔iiß. cinam. rubr. ℥iij. Bainill. ℥xij. piper. Ind. rubr. (Actuarius cit. Marggrav. hiſt. rer. nat. Braſſ. *l.1 c.19. fol.40.* capſicum vocat) tantundem. Achiot. el. ℥ß. ambr. aut moſch. opt. ℈j. Primi verò aromatis pondus non expreſſit Cald. d. Her. ſachari poſtremò adduntur ℔ij. fitque maſſa duriſſima.

Orejuelas itor de Olor

Et hanc quidem miſcendi rationem Author laudatus probatiſſimam ſuaviſſimamque aſſerit, cæterisque omnibus præfert. Reperiuntur apud alios formulæ admodum inter ſe diverſæ, baſi tamen conſtantes eadem. vid Colm. d. Led. *p.* 10. & 21. Zach. *d. mal. hyp l.2. c* 14. Niremb. *l. c. p* 346.

Quodſi verò ex prædicta maſſa potionem parare voluerint, ejusdem ℥j. ſolvunt in aq. fervid. octuplo. Cavendum autem, ne ad ignem bulliat, vel refrigerata denuò calefiat; aceſcit enim & corrumpitur, ventriculumque ſubvertit. Deinde molendino agitatur quaſſaturque, ut in ſpumam vertatur, ac pars pinguior omnem materiam permeet. præfertur, quæ ætatem habuerit, recenter factæ; in illa enim miſtio intimior, hæc verò ſtomachum perturbat, teſt. d. Led. *l. c. c. 2. p.19.* Hinc calidè bibitur, addito nonnunquam pauxillo pro cujusque palato ſachari, tempore utplurimum matutino. Nec priùs alius potus aſſumitur, quàm chocolata ventriculo egreſſa & digeſta fuerit. Secus, vertigo, dolor ventris, imò & mors ipſa inſequuntur.

Cæte-

Cæteroquin quot emolumenta, quæ inde provenire narrantur maxima, ex iſtius potionis uſu in nos redundent, quas noxas afferat, qua denique cautione ſit uſurpanda, prolixiùs tradit ſæpius Cald. d. Her. *l. c. f.* 473. *ſeqq.* Nobis hoc unum jam incumbit, utrum Venerem, & qua ratione ſtimulet? diſpiciamus.

Cum verò certum ſit, fructum cacao abunde nutrire, adeò, ut violari jejunium hujus uſu demonſtret modò cit. Autor, *f.* 483. *& ſeqq.* Reliquas verò ejusdem potionis partes aromaticas eſſe, ideoque inſigniter calefacere; promptè hinc colligitur, & materiam ſeminis ſuppeditare poſſe, & ſpiritu copioſo erigere nervũ, ut & ſenes nonnunquam ad ſacra Veneris compulerit, aut fatiſcẽtem in his calorem abundè recreaverrit. *quo conſilio Clemens X. jam depontanus Senex quotidiè binas hauſit chocolatæ patellas; quod Romæ ex* D. Floridi, *Summi Pontificis Archiatri diſcurſu in Palatio Quirinali de ejusdem diæta habito obſervavit, mihiq; retulit* D. D. Kûefferus, *Magni Parentis, Patroni mei deſideratiſſimi, Filius haud degener, &c. &c.*

Qua verò fronte tot ſcriptoribus, qui magno conſenſu idipſum profeſſi ſunt, fidem derogabimus? Cauſam tamen non omninò nullam habuiſſe videtur Sim. Paul. *Quadrip. Bot c. 3. verb. Tabacum, p.* 495. Germanis rerum exoticarum exprobrandi abuſum nimium, ſed paulò ſeverior cenſor.

Velut autem Chocolata Mexicanis, Hiſpanis, aliisque gentibus inguina inflat, erigitque, ſic Turcis & Mauritanis *Amſiam* dicta planta, de qua Scal. *d. ſubt. ex* 175. Unde medicamenti genus Amſiata dictum, quod opio conſtare multi, iique probatæ fidei Scriptores tradunt, quorum præcipuos allegat Marc. Don. *med. hiſt. mir. c.* 18. *p.* 145. *ſeqq.* Confer. Mercur. *var. lect. l. 6. c.* 15. *p. m.* 524. Cujus cum Germani uſum ignorent, tempus operamque, illius hiſtoriam & formulas enarrando, non eſt, ut perperam impendamus. qua verò ratione opium, quod aliàs torpore quodam artus fulminat, Venerem ſtimulet, declarat Willis. *pharm. rat. p. 2. ſ. 7. c. 2. p. m.* 190. Aliquando & morbi ſunt remedio, cauſæ ipſius

 impo-

impotentiæ adverſi. Dantur quippe, qui febrili incendio temperamentum fervidius moderantur. febribus enim deflagrantibus corpora fiunt frigidiora. Viciſſim ex eadem cauſa conſopitus calor in ſegni corpore fermentationis beneficio, modò febris non fuerit nimia, ſic emicat, ut frigidi alias Veneris commercio apti evadant. quin & accidit, morbos genitalium partium peculiares ſanguinis ſpirituumque affluxum concitare, ut libidinis œſtro ignavæ aliâs partes percellantur. Utriusque generis exempla notatu digniſſima ſuppeditat Zacch. *q.med.Leg.l.3.t.1.q.4.f.133.*

# *Caput XVI.*

Impotentes ex maleficio quomodo curandi? Dæmonem medicamentis fugare velle, æquè periculoſum animæ, ac alios ligare. Curari tamen poſſunt remediis, quæ cauſis, quibus cacodæmon ſæpè abutitur, opponuntur. Primeroſii conſilium laudatur. Epilogus.

SUpereſt, ut, qua ratione curari debeant impotentes ex maleficio, diſpiciamus. Nulla equidem ratione adduci poſſumus, ut magis credamus Hiſpaniarum Regem virtute ad expellendos Dæmones, quàm Angliæ olim, & hodienum Galliæ Reges ad Herculeum morbum & ſtrumas ſanandas, ut quorundam eſt error, pollere; Nec diffitemur cum Caſpar. à Reies *elyſ. juc.q.camp.q 28.f.197.* cacodæmonem, cum ſit materiæ expers, nullo remedii genere directò profligari, fugarive poſſe; & æquè magno ſeſe exponere periculo eos, qui perſuadent, ſe Dæmonis inſidias remediorum, ceremoniarumve uſu declinare didiciſſe, ac qui ligaſſe ſe alios gloriantur. Hac enim perſuaſione æquè majori ſuo lucro ægrum ac Medicum credulos efficit, & ad quosvis vel pernicioſiſſimos errores paratos. Teſtem citàmus ὁμόψηφον Primeroſium, qui, cum *tr.d.morb.mul.l.4.c.1.p.247.* remedia varia, quæ paſſim ab aliis adverſus hoc mali genus commendantur uſurpanturque, recenſuiſſet, quorum prolixam ſeriem Petr. Bayr. *enchir.d.16 c.3.p.378.* exhibet, tandem ſubdit: *Verùm in his non minor eſt ſuperſtitio, quàm in ipſis incantationibus, nec minor eſſe debet ſuſpicio magiæ in remedio, quàm in ipſo maleficio; nam remedia hæc adverſus Dæmonem vix quicquam poſſunt naturaliter, ſed patitur Dæmon, ut faciliùs illudat nobis, ſe ejusmodi herbis cogi, quæ tamen id efficiendi nullam habent virtutem.*

Ergò,

Ergò, cùm non ſint facienda mala, ut inde eveniant bona, & major cura animæ, quàm corporis ſit habenda, Theologorum potius conſilio hîc obtemperandum, quàm implorandi Medici, aut, quod pejus, vetulæ interrogandæ ac veneficæ, quas eodem licet artificio curaſſe morbos, quo inflixerunt, plurima exempla doceant; in auxilium tamen vocari ab homine pio & Chriſtiano prorſus alienum, imò omni jure prohibitum videtur. *l.15.ff d.C.I. l 3. & 5. C. d.malef.& mathem.* Nov. Leon. *65.c. 26 q.7.c.33 q.1. Levit.19.verſ.31.& 20. v 6. Deut 18.v 10.* Nec quicquam obſtabit Paracelſi autoritas, qui *l. d.occult. phil.& cœl.med.* naturalis medicinæ & chirurgiæ caſſam in his affectibus curandis ſubodorans operam; *Qua ratione*, inquit, *& quomodo morbis magico maleficio inflictis ſuccurrẽdum ſit, ſcitu eſt neceſſarium omnibus Medicis, qui perfecti cupiunt eſſe. De tali autem curatione nec Galenus, nec Avicenna ſciverunt, aut ſcripſerunt quicquam. Non enim in Academia diſcitur omnis ars, ideò oportet Medicum quandoque accedere vetulas, ſagas, zingaros, ruſticos, & circumforaneos, & ex ipſis artem iſtam addiſcere, qui plus ſciunt de his rebus, quàm omnes Academiæ Profeſſores, tu verò utere illis in forti imaginatione, & experieris effectũ; Nam tales curationes magicæ minime ſunt contra DEUM, quia illis non ad perniciem, ſed ad ſalutem hominum utimur, dicant ad hæc, quicquid velint, Theologi. & l.d morb.cad. nil refert, an DEUS, vel Diabolus, Angeli, vel immundi ſpiritus ægro opem ferant, modo morbus curetur. Non ſunt enim iſta Medicinæ genera, tametſi ſint, qui hos ſibi profuiſſe cum prædicatione affirment. l.1 § 3. ff.d.Extr. cogn.* vid. prolixiùs hac de re, ſed piè & egregiè diſſerentem Bernh. Waldſchmid/ *Pytoniſſ. Endor.* paſſim, imprimis verò *p.315.* ubi inter alia, *Diaboli beneficia*, aſſerit, *ſunt veneficia; & mors homini chriſtiano ſubeunda citiùs, quàm vita ligaturis redimenda. Eſt enim conſultatio hæc ſcelus grave, & DEO valdè injurium, quia per illud præſcientia futurorũ, & divinatio adimitur ejus divinitati, cui propria eſt, & traditur Diabolo*; prælaud. Waldſchmidt/ *l.c.p.392.* & Bodin *l.3.c.5. d. Mag. Dæmon. præſtat*, inquit, *mori millies, quàm deteſtandum remedium corpus ſervans, animam verò occidens experiri.*

Nihilominus utut herbis nequicquam virium in ſpiritus conceſſum ſit, non omnium remediorum uſus in præſenti caſu irritus eſt; Cùm enim cacodæmon nonnunquam impensè refrigerantium ope elumbes frigidosque reddat novellos maritos, nihil vetat, remediorum c. præc. enumeratorum uſu aliquid tentare, modò ſuperſtitio abſit. Hæc verò non Dæmoni, ſed cauſis naturalibus, quibus ſæpiſſimè abutitur, opponuntur. ſic & narcotico remedio æquè ſopit ac dementat ſagas Dæmon, quæ expergefactæ ſibi penitus perſuadent, ad ſabbatha ſe per aërem abductas fuiſſe, cùm ſæpè vix ultra ædium limina pedem protulerint. Opinionem noſtram rationibus ſolidis & exemplis fide dignis prolixiori diſcurſu confirmat Godelm. *l.2.cap.4.p.34. & ſeqq d mag. veneſ. & lam. cogn. & pun.* ubi inter alia formulam unguenti à Paracelſo *l d occult. phil.* deſcriptam proponit; *Lamias* nimirum *carnem recens natorum infantium herbis ſomniferis, quales ſunt papaver, ſolanum, Cicuta, &c. commiſcere, & in formam pulmenti coquere, quo ſi fuerint*

*inuncta,*

*inuncta, & hæc verba pronunciarint*, **oben auß / und nirgend an**/*confeſtim eas avolare.* modos conficiendi plures ſuggerunt Bodin. Cardan. Delrio, Wierius. *l.2 c 31.*

Prius tamen conſiderandum, frigeantne partes, an caleant? ſint adſtrictæ, vel laxæ? ex his quippe veſtigiis cauſarum indolem, minimùm quoad rationem, ut loquuntur, cauſandi, venabimur; etiamſi, an ab hyoſcyamo, mandragora, ac id genus aliis, dependeat impotentia? neſciamus; ac deinceps remedio materiam facilè inveniemus. Quapropter, ſi qui fortaſſis verbenam, ſcyllam, eryngium, hypericum &c. viderunt opem tuliſſe ægris, non quod Dæmon talia formidet, id factum, ſed quia frigidam intemperiem à Dæmone refrigerantium medicamentorum beneficio inductam potuerunt emendare; Sic Conringium juvenem ſponſum ligatum ſolis remediis naturalibus Venerem excitantibus ſemenque augentibus feliciter reſtituiſſe refert Frommann. *d. faſcin. l.3 p.10. ſ.1. c.1. p.956.* Pariter D. D. Paul. de Sorbait, penem, quem æger ſuſpicabatur veneficio retractum, adhibitis fomentis denuò evocavit; verba ipſius ex *Ephemerid. Germanic. Ann 2. obſ.50. p.89.* excerpta refero: *Viennæ in platea Dominorum habitans derepente privabatur membro virili; ita, ut nihil penitus appareret, præter ultimum præputii labrum; veneficium ratus me in conſilium vocavit, & , facto ex carminativis fomento, membrum priſtino ſtatui reſtitutum fuit; erant enim duntaxat flatus intra triplicem membranarum veſicæ complexum incluſi & diſtenſi, qui membrum ad oculorum effugium retrahebant.*

Non diſplicet Primeroſii Conſilium, qui l. c. inquit: *optimum erit, locum mutare, & veſtes, & quicquid hominem attigit, ne forte in iis lateant vires iſtæ malignæ & veneficæ.*

Quod ſi phantaſmata Dæmon ſuggeſſerit, quibus faſcinare animum potuit, prudens exhortatio & facundia remediis plus poterunt. Admonendi ergò ægri, ut pulſa animi nube ſint alacriores. Nam, *qui confidenti animo*, iterum Primeroſium teſtem adduco, *contemnunt iſtas artes, vix, aut raro quicquam ab iis mali ſentiunt.*

Nos vela jam contrahimus, iterumque, ſi quid admiſimus humani, ut in Prooemio proteſtati ſumus, culpam deprecamur. ſtudio neminem offendimus, aut turpia dictu protulimus, qui nodum in ſcirpo quærunt, aut in verbis nimium ſunt religioſi, an ſuperſtitioſi dicam? neſcio, vel in ſacris ſcriptoribus, quod diſpliceat, deprehendent. Qui verò animo nimiùm ſunt intemperantes, ſibi imputent, quod undecunque turpia cogitandi, ubi nulla datur, occaſionem captent. Quod ſi verò alii in re ludricâ ſeriò occupati laudem reportarunt, veniam merebimur, ſi, quod Lectoris tantùm culpa turpe videri poterat, ſcitu æquè dignum, ac neceſſarium argumentnm, qua decet modeſtia, pertractaverimus.

# COROLLARIA.

I. *Toto triennio frigidus, vel maleficiatus, non toto triennio impotens eſt.*
II. *Omnis maritus eſt impotens.*
III. *Cælibes verò utplurimum, etiamſi ſint quinquagenarii, maritis juvenibus ſunt potentiores.*
IV. *Medicus nonnunquam Iuriſconſulto ſuperior eſt, ejusque conſiliarius.*
V. *Contrà Medicus ſic ſui Iuris eſt, ut nusquam Iuriſconſultorum indigeat conſilio.*
VI. *Partes pudendæ ſunt omnium pulcherrimæ.*
VII. *Acerbiſſimus dolor ſuaviſſimæ voluptatis parens.*

# F I N I S.